DE VITA ET REBVS GESTIS FRANCISCI DE LA ROCHEFOVCAVLD S. R. E. CARDINALIS LIBRI TRES.

Ex libris Congr.nis S. Mauri Romæ 1691.

Auctore P. PETRO ROVERIO *Societatis* IESV *Presbytero.*

2

PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Architypographum Regis, & Reginæ Regentis: ET GABRIELEM CRAMOISY. viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.

M. DC. XLV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

7

ILLVSTRISSIMO
DOMINO
ARMANDO BORBONIO
PRINCIPI
DE CONTY.

QVI *vel aliorum communi præſagitione ad magna deſtinetur, vel ipſe per ſeſe magna animo deſtinet*, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, *eum opus eſt magnis dum licet animum fulcire exem-*

plis. Tu vnus hodie es in hoc Gallicæ Ecclesiæ theatro, ad quem omnes, vt ille loquitur, ora obuertant sua, à cuius auctoritate Ecclesiæ Præsules honorē, à cuius ore cæteri eius Ordines defensionem, à cuius manu egenæ eius plebes solatia sua suspensa olim esse velint & voueant. Hæc magna sunt, hæc excelsa, ad quæ te omnium vel omina destinant, vel vota, sed quæ tu ipse animo destinas, ea, si ex impreßis non leuiter iuniore hac ætate tua vestigiis licet colligere, multo his sunt & maiora & sublimiora. Neque enim vel natales hi tui Regij, vel indolis bonitas, ac felicitas paruum te aliquid aut mediocre animo amplecti patiuntur.

Quis vero ambigat quin hæc duo in ſupremo rerum humanarum apice diuina collocarit ſapientia, Doctrinam exquiſitam ac ſolidam; & bonæ atque integræ mentis Conſcientiam. Ad quæ duo te animo aſpirare nemo non plurimis deprehendit indiciis. Sed fulciendus vt dixi in his eſt animus tuus magnis exemplis. Quæ tu ſi à remotiſsima accerſere velis antiquitate, ſapias ſanè, ſed laborioſiùs, vt arbitror, quàm vtiliùs. Occupauit enim iampridem hominum animos hæc perſuaſio, eorum qui à noſtris procul abſunt temporibus actiones, vel ob delabentes quotidie animorum corporúmque vires, vel ob diuerſas temporum loco-

rúmque conditiones admiratione potiùs quàm imitatione proſequendas. Quæ perſuaſio ne tibi quoque obſtrepat, paranda cenſeo ad hanc deſtinati tui conſilij magnitudinem ea exempla, quæ nec antiquitate ſint obſoleta, nec longinquitate peregrina. In his obteſtor ego te vt videas an non meritò cenſere poſsis quas ego tibi offerre dicaréque ſum auſus Magni Rupifucaldij Cardinalis res geſtas. Neque enim illæ tibi aut peregrinæ eſſe poſſunt, aut vetuſtæ. Quomodo enim peregrinæ, quæ eodem tecum ſolo ac propè lare ſunt natæ? Natalis enim tibi illíque Lutetia: lares autem adeo coniuncti, vt proauus tuus Ludouicus Condæus

Franciſcum tertium Rupifucaldi Comitem Cardinalis Patruum, nuncuparet fratrem, quòd Royenſibus ambo ſororibus coniuges eſſent? Quomodo verò vetuſtæ, quarum & tu ipſe vidiſti plurimas, & ſpes ſit quâ ille deſiit te incepturum? Ita quæſo & opto

Seruus obſequentiſſimus
PETRVS ROVERIVS
è Societate IESV.

INDEX CAPITVM.

LIBRI PRIMI.

XIV.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

DE VITA ET REBVS GESTIS FRANCISCI DE LA ROCHEFOVCAVLD S. R. E. CARDINALIS.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Paternum genus eius & ortus.

FRANCISCVS Cardinalis de la Rochefoucauld ortus est è primaria apud Aquitanos nobilium gente Rupifucaldia, quæ apud Pictauos per Aenoram de Chasteleraud, & Eleonoram eius filiam Christianis pro-

pè Regibus omnibus ſanguine iuncta, & apud Encoliſmenſes, Aruernos, Campanos Remenſes, alióſque populos latè propagata, gentis caput agnoſcit Rupifucaldium nuper Comitem, nunc Ducis ornamentis à Ludouico Rege XIII, ob egregia Franciſci Rupifucaldij V apud Reſiam inſulam facinora, cohoneſtatum ad annũ Chriſti CIƆIƆCXXVII. Parens fuit Cardinali Carolus Rupifucaldius Comes Randani Franciſci II filius ex Anna Poligniaca, qui equitibus cataphractis quinquaginta primũ Præfectus, tum Ordinis Regij torquatus eques, mox centum leuis armaturæ equitum Dux, dum ciuitas Metenſis à Carolo V Imperatore obſideretur, & glorioſus quidam Eques Hiſpanus de Manriques, qui ſub Duce Auila equitatui Imperatorio præerat, Francorũ quempiam ad ſingulare certamen prouocaſſet, illico prodiit, & facto vtrimque concurſu hoſtem cõfoſſo lancea brachio, pręcipitem de gloria & de equo deturbauit. Nec multo poſtea ſupremus peditũ Francorum Magiſter factus, in obſidione Bituricarum, quas Hæretici inuaſerant grauiter vulneratus, ſed multo grauiùs in

ea, quæ ſequuta eſt Rotomagi ab eiſdem hæreticis cæſus, occubuit anno Chriſti CIↃIↃLXII. Ex eius coniugio cum Fuluia Pica, Galeatij Mirandulæ Concordiæque Principis, & Hippolytę Gonzagæ filia, natus eſt Pariſiis ſecundo inter quinque liberos loco Franciſcus hic noſter anno CIↃIↃLVIII Decembris 1558.
die VIII. Ac Fuluia quidem non maior annis duobus & viginti marito viduata à Catarina Medicæa Regum matre, cui teneris ab annis honoraria puella fuerat, in aulam eſt euocata, paucíſque pòſt annis ab Henrico III. domui Reginæ Ludouicæ Lotaringicæ coniugis ſuæ ob pietatis, & prudentiæ eximia decora Præfecta fuit.

CAPVT II.

Fuluiæ matris virtutes.

FVIT Fuluia Franciſco Cardinali non mater ſolùm, ſed omnis etiam virtutis magiſtra. Nondum enim quinquennem ad Patris fata puerum verbis, exemplis, alienáque, vbi ætas adfuit, inſtitutione ad virtutem effingere exorſa non ceſſauit, donec omnibus nume-

ris eum abſolueret. Nolo me huius rei procul à me poſitæ auctorem lectori eſſe, ſed Theofredum Malaureum Societatis noſtræ Sacerdotem, qui tunc vixit & conſcientiæ illius, ac filiorum, conſiliis interuenit. Is enim moriens in Collegio Billomenſi Commentarium reliquit, in quo de Matronæ illius excellentiſſimæ caſtitate, pietate, & miſericordia in egenos, quibus virtutibus Franciſcum filium illa penitiſſimè imbuit, hæc leguntur. Tulit magno animo mortem viri, Dei & Regis cauſa obitam, cúmque annorum tantùm eſſet duorum ſupra viginti conſtanter ſtatuit caſtitatis ſtudio ad nouas nuptias non conuolare, ſed educandis liberis operam præbere accuratam. Alterum caſtitatis dedit ſpecimen, quod domui Reginæ Præpoſita, cùm puellas eius honorarias regeret, tanta omnes vigilantia, ac ſolicitudine ſepiebat, vt non minore circumſpectione, ac modeſtia vbique agerent, quàm ſi vitam duxiſſent Religioſam. Ac mihi ipſa narrabat aliquando molitum eſſe quendam in aula principem arte multiplici cuiuſdam ex illis puellis pudicitiæ illudere, quod vbi ipſa ſubolfecit,

contrariis illum aggreſſam eſſe artibus, atque obtinuiſſe vt multis modis deluſa fatigatáque cupiditas tandem irrito conatu frangeretur. Nam ad peccatorum confeſſionem, & ſacræ Euchariſtiæ communionem crebrò omnes impellebat hortatu, & exemplo, penſa varij laboris cuique diſpertiebat, ad ſacra myſteria, veſpertináſque precationes audiendas quotidie ducebat, priuata pietatis exercitia conſulebat, vt nullum neque otio neque vano colloquio tempus ſupereſſet. Anno demum CIϽIϽLXXXVIII cùm Regis mater Catarina Medicæa rebus humanis exceſſiſſet, ipſa quoque aulæ remiſit nuncium, & Muſono Aruernorum Caſtello ſe condens nulla de re ampliùs niſi de pietate, cultúque Dei cogitauit, tria quotidie aut quatuor audiebat ſacra, octauo quolibet, aut ſolemni die ſacris myſteriis participabat, veſpertina officia à ſuis, filiorúmque preſbyteris domeſticis quotidie ſibi filiiſque decantari iubebat, nec lectum niſi fuſis in commune precibus, diſcuſſáque conſcientia adiri à quoquam ſinebat, functos verò fato propinquos quotidianis propè ſacrificiis iuuare fatagebat.

Quod verò dicam de miſericordia in pauperes propè eſt infinitum, tacebo cætera, præter id quod Billomi vidi. Pauperes pueros alebat in ſcholis non paucos, puellas domeſticas ſua pecunia in matrimonium dabat plurimas, cùm Religioſi Cappuccini à filio Aruernos eſſent adducti, alebat ſanos ferè omnes ſuis copiis, ægros autem non ſolùm cibo, ſed etiam deliciis crebrò fouebat; cùm pecunia ædificantibus Monaſterium defecerat, ipſa argenteam ſuppellectilem in pignus opponebat, vt pecunia conficeretur architectis neceſſaria. Cæteros pauperes, etiam quos Noſodochium exceperat, incredibilibus ſolatiis ſuſtentabat, Medicis, Chirurgíſque ſalaria pro illis exſoluebat, viſebat eos, conſolabatur, cibo veſtitúque donabat. Hactenus Theofredus. Sed Gullonius in Carmine quo Franciſcum, fratréſque eius laudat in limine Procopij in Eſaiam, Fuluiæ laudem hoc vno verſiculo pulcrè expreſſit.

Μήτηρ πότνια καὶ σέβας γυναικῶν.

Mater veneranda & pietas mulierum.

Ioannes Auratus Poëta Regius de ea ſic ibidem canit, Franciſco & Alexandro

Rupifucaldiis gratulatus egregiũ quem habebant præceptorem domesticum.

Nec enim casus dedit vllus
Hunc præceptorem vobis, sed certa Parẽtis
Consultæ ratio, quæ non contenta sub auras
Illustri Illustres natos de patre dedisse,
Maius eis aliquid claris natalibus vltro
Quæsiit.

CAPVT III.

Adolescentis Francisci studia.

PARISIIS aliquandiu priuato Magisterio Ioannis Curterij viri optimi, atque ex Societatis disciplina ad Catholicam religionem virtutémque egregiè animati, est institutus. Sic enim affirmat Auratus:

Probus, atque peritus
Linguarũ, à teneris Curterius erudit annis.

Et ipse Curterius anno CIↃIↃLXXI, 1571. quo Franciscus agebat ætatis decimum tertium, Ioannem Rupifucaldium eius patruum Maioris apud Turonos Monasterij, & Cormeriaci Abbatem sic alloquitur in Epistola, qua Historicos Ecclesiasticos Eusebium, ac cæteros notis

abs ſe illuſtratos illi dedicat. Cùm inquit (nepotum tuorum) non linguam tantùm, ſed mentem & mores etiam, ipſam denique pietatem, qui vnus eſt omnium ſtudiorum, ſed valdè neglectus hoc tempore finis, curare noſtri ſit muneris, conſilium ad hoc videor ſequutus. Et mox. Quoties eis aliquid ab externis auctoribus, in quibus linguarum & artium fundamenta iaciunt, vel minus caſtum & ſincerum vel nobiſcum ſentiens occurrit, priùs illud ex veterum Patrum auctoritate non deteſtari modò & refutare, vt oderint annitor; ſed diuinæ legis etiam fontes, vnde cætera hauſerint, quò Religionis noſtræ veritatem, atque antiquitatem à teneris mirari, eiúſque tuendæ ſtudio inflammari queant, aperio. Et mox. Sperem eam diſcendi docendíque rationem tuis ex fratre Diſciplinæ noſtræ commiſſis nepotibus, iiſque potiſſimum, qui in Eccleſiæ ſpem educantur, & mihi etiam, vſui tandem ornamentóque futuram. Cùm enim vtriuſque linguæ, & primarum diſciplinarum ſuperata difficultate in auctores eos, ad quos illis tanquam viam priuatis ſtudiis ſternimus, inducentur, tum eis quantum

ista prior educatio, & quæ nobis interim cum eisdem auctoribus comparatur familiaritas prosit, apparebit. Hæc paulo fusiùs descripta volui, tum vt priuata Cardinalis studia nosceremus, tum vt Curterij sanctam docendi methodum, & discipuli in optimo Magistri consilio tota deinceps vita sectando sedulitatem, ac fidem nosceremus, atque demiraremur. His ergo priuatis studiis eruditus Franciscus publicis est Collegij Claromontani scholis adhibitus, emensísque pro dignitate rei, & bonitate ingenij quæ deerant literarum politiorum studiis, ad Philosophicas breui conuolauit. In quibus Magister illi obtigit Iacobus Comeletus è Societate IESV acris vir ingenij ac perspicacis, quo duce ita hæc studia ille confecit vt in hoc Parisiensi Theatro Episcoporum, Aulicorum, Magistratuúmque celeberrimo cœtui laborem atque ingenium suum egregiè probarit, dum conclusiones totius Philosophiæ publicè propugnaret. Theologica deinde studia ingenti animo aggressus Magistris Iacobo Tyrio, & Ricardo Flaminio de eadem Societate, fructum retulit non disparem, eámque

ſibi ſacræ eruditionis copiam congeſſit, quæ & longæuam deinceps vitam inſigniter exornaret, & complurium Reipublicæ commoditatum eſſet inſtrumentum.

Capvt IV.

Primæ eius in Eccleſia dignitates, & Romana peregrinatio.

INter hæc ſtudia prima illi dignitas Eccleſiaſtica obuenit Monaſterij Trenorchiani Præfectura ad annum
1573. Chriſti circiter CIↃIↃLXXIII, cùm illam poſt Cardinalem Turnonium, annis vndecim, dum Franciſcus adoleſceret, adminiſtraſſet Ludouicus Cardinalis Guiſius. Vix dignitatem adierat, cùm de illa augenda & ornanda cogitationem ſuſcepit. Nam cùm vetuſtum Xenodochium Trenorchij perduelles Caluiniani Gallia tota miſerabiliter debacchantes, rebúſque ſacris omnibus vaſtitatem inferentes, ſolo æquaſſent, Franciſcus auctore patruo Ioanne Rupifucaldio, & Matre Fuluia illud à fundamentis & ſolidius, & illuſtrius reſtituit.

Erat omnino Ioannes tum ſuis hiſce ex fratre ſecundo genito, tum aliis ex primogenito nepotibus patruus natura, ſed pater ſtudio, quod in limine Procopij ſic teſtatur Moreletus Poëta.

Hic eſt namque ſalus tot fratrũ ſemine natis
Vnica, labentis ſtátque columna domus.
Nam patruus verũ ſi præſtat vbiq; parentẽ,
Si veſtris rebus poſthabet ille ſuas,
Si vos ornandos curat pietatis, & artis,
Omnis virtutis denique luminibus,
Quis neget hunc demẽs orbis vtroq; parẽte
Et patruum vobis & ſimul eſſe patrem.

Omninò verò auctor eſt San-Iulianus Cabilonenſis qui Res Trenorchienſes ſcripſit, Franciſcum dum ſtudia peregit præter annuos quadringẽtos aureos quibus ſe ſuóſque, opitulante ſcilicet ad cætera Ioanne patruo, ſuſtentabat, reliquum illius Monaſterij prouentum reſarciendis ædificiis, puellis egeſtate periclitantibus in coniugium dandis, liberis pauperum, aut literis, aut vtili opificio, quo ſe in poſterum alerent informandis, planè impendiſſe. Hinc videlicet ab illo iacta ſemina illius in miſeros beneficentiæ, quæ mirifica poſthæc apud ipſum ſuſcepit incrementa. Quamquam qua

erat indolis bonitate Matris Fuluiæ, vt diximus & Ioannis Patrui exẽplis ea virtute videri etiam poſſit initiatus. Non multo poſtea Henricus III eum vix ſextodecimo ætatis anno maiorem verten-
1574. te Chriſti CIↃIↃLXXIV ad ſupremam Capellæ ſuæ præfecturam, quæ primariis Regni Prælatis attribui ſolebat, aſciuit. Quo munere cùm annos aliquot inter ſtudia Theologica functus eſſet, peracto ſtudiorum decurſu Romanam peregrinationem volente Patruo, & Matre ſuſcepit cum Alexandro fratre & Præceptore, tum vt ex ea ciuitate ſacri Ordinis fonte nonnullum ad Eccleſiaſticam vitam, cui ambo addicti erant fructum haurirent, tum vt maternos propinquos ſalutarent. Erant eo in iti-
1579. nere anno CIↃIↃLXXIX. vnde hæc Curterius ad Ioannem Rupifucaldium ſcribebat in Epiſtola Procopij, interim Pariſiis excuſi, dedicatoria. Accipe igitur obſecro, Ioannes Illuſtriſſime, accipe inquam & vernam iſtum alterum, Procopium tuum longo & difficili itinere ad te anhelantem, ipſúmque aduerſus eos quibus eſt obtrectare quàm meliora præſtare procliuius, tandiu ſal-

tem tuere donec abſoluta noſtra peregrinatione non ſolùm eius patrocinium ſuſcipiant iſti fratris tui filij omni literarum genere inſtructiſſimi, ſed multa etiam alia ex præclara illa librorum præcipuè Græcorum ſuppellectile quam hîc vndique cumularunt, in Eccleſiæ, & literarum, Gentíſque veſtræ, ac nominis ornamentum depromant. Vale Bononiæ Idib. Octobris M. D. LXXIX. Sed hîc prætermiſſum non oportet, quod in famulorum eius ore, qui longos illi annos miniſtrarunt quaſi per manus traditum verſatur, cùm ex illo itinere domum reuerterent occurriſſe Franciſco Gallum ſacerdotem, qui non ſolùm inter mendicos manum porrigeret, ſed adeo etiam eſſet pannoſus, vt nihil à cæteris diſtaret mendicis. Exhorreſcit bonus adoleſcens ad hunc aſpectum, ſacerdotalis faſtigij tantam deiectionem non ferens, & miſerabili viro in hoſpitij, vbi habitabat, cubiculũ euocato tunicam Eccleſiaſticam, quam habebat in ſarcinis imponit, ac commodè de cætero adornatum rogat, ne Deo in poſterum hanc iniuriam inferat, vt in ſuo illum miniſtro videri ſinat deſpicabilem. Deducit de-

inde illum ad ianuam, & præire ſibi abruptè compellit, affirmans ſibi, qui ſacerdos nondũ eſſet honorificentiſſimum eſſe, vel vltimorum ſacerdotum veſtigia aſſectari. Tam verò altè tota deinceps vita hunc de ſacerdotali dignitate ſenſum in pectus demiſit, vt & omnes ſacerdotes antequã ipſe eſſet, exquiſitis proſequeretur honoribus, & poſteaquam ſacerdos ac Epiſcopus fuit omnes pro fratribus veneraretur. Nemo illum vnquam audiit ſacerdotem domeſticum non ſolùm contumelioſo, ſed ne duriore quidem verbo compellantem, & quamquam excelſi erat animi, & quæ ad Dei honorem ſuſceperat enixè confecta volebat, tamen ſiquid ab illis, minus quàm vellet, accuratum occurrerat, rationum potiùs pondere, & grauitate quàm verborum emendabat. Nunquam ſacerdoti domeſtico humile miniſterium impoſuit, nunquam oblatum admiſit; ac ſi quando ad id officium quiſpiam eorum improuiſus obreperet, ſemper id ſibi diſplicuiſſe oſtendit.

CAPVT V.

Res in Episcopatu Claromontano gestæ ad animorum salutem.

CVM primùm ad annos Episcopales peruenit vacuæ illũ Claromontis apud Aruernos sedi destinauit Henricus III anno Christi CIↃIↃLXXXIV, 1584. ætatis XXVI, proximóque pòst anno inter Regij Consistorij Consiliarios allegit: sed ille aula eodem anno derelicta populo suo se præsentem sistit, possessionéque ad diem septimam Octobris adita perpetuus deinceps negotiis Ecclesiæ suæ incumbit. Ac eò primùm suas impensè curas confert, vt sacro Ordini imperitiæ, ac nimiæ licentiæ fama illo in Episcopatu grauiter laboranti seuerissimo Ordinandorum delectu medeatur. Nulla propè fuerat antea nobilium, nulla plebis familia, quæ sibi Presbyterum, non tam ad sacra, quàm ad rem familiarem regendam nõ deposceret, inde succreuerat in Ecclesia inerudita, atque, vt solet, malè morata sacrorum hominum turba, quam imminui & Ordinis

ſacri, & publici exempli intererat. Ergo occluſo interceſſoribus aditu, acríque candidatorum examine illud breui obtinuit, vt nemo indignus ad ſacra auderet adrepere, nihilóque ſeciùs omni ope egit, vt qui iam erant conſecrati abiectis viliſſimis negotiis ordinem ſuum, dignitatémque recognoſcerent, maléque neglecta literarum ſtudia, vel adirent, ſi ætas pateretur, vel legendis vulgaris ſermonis libris reſarcirent. Hæc illi vt opinor occaſio fuit, vt inter iſta adminiſtrationis ſuæ initia libros duos euulgaret, alterum de ſtatu dignitatéque Eccleſiaſtica, alterum de auctoritate Eccleſiæ. Iam illam quoque habuit antiquiſſimam curationem, ne ſubſidiariis Religioſorum Ordinum copiis, atque operis deſtitueretur. Itaque primus Cappuccinos Patres Aruernis intulit Cœnobio illis ſuis, materníſque copiis exædificato Billomi. Nec deſtitit quin eorum domicilia tota latè Diœceſi ſtatueret aliquo ferè pecuniario ſubſidio ad eos admittendos, ác fundandos vrbes allectans. Erat eo tempore ex hæreſeos afflatu ea in familias nobiles diſſipata opinio, vt quicumque ex eis orti erant

Epi-

Epiſcopi nulla alia re ſe à cæteris inferioris familiæ viris ſecerni vellent, niſi faſtu, & expenſarum, familiæque magnitudine. Eccleſiaſticarũ functionum magnus inter pleroſque contemptus, veſtitus extra ſacra profano laicóque ſimilis, venatio atque exercitatio omnis non alia Epiſcoporum quàm militum ac nobilium de ſæculo, aliáque plurima, quæ inſinuarent plus in eiuſmodi dignitate quæri honorem, & commoda, quàm ea ob quæ inſtituta eſt, hominum ſalutis bona & Dei obſequia. Senſit hos Epiſcopatus ſcopulos ab ipſo conſecrationis primordio Franciſcus, & contraria planè velificatione ad ſalutis quò aſpirabat portum cepit contendere. Ergo tam illuſtri ortus Gente nihil à quolibet ſui Ordinis diſtare vult, familiam non pompa, ſed neceſſitate metitur, expenſis quàm poſſet parciſſimis, vt pauperibus res familiaris ſufficeret, vſus, & Epiſcopales functiones per ſe ſemper numquam per alios functus, veſtitum ſine ſerico, ſine luxu vllo ad Eccleſiaſticam formam planè exigit, venationem funditùs, exercitationem autem omnem quæ immodeſtiæ & leuitatis notari poſ-

ſet, euitat. Ita ad omnem Epiſcopalis dignitatis amuſſim exactus, cùm in aulam ob Cleri negotia veniebat, omnibus eiuſdem nobilitatis Epiſcopis ſpectaculo erat, iuuenis grauitate, modeſtia, ſapientia clarus, cuius omnia ſtudia Eccleſiæ vtilitatem, virtutémque ſpirarent, qui ſacris rebus magna intereſſet reuerentia, incruentámque Deo hoſtiam quotidie offerret. Quæ cùm & à Rege laudarentur in eo palam, & ab aliis vocari in inuidiam facilè non poſſent, illius quam dixi opinionis peruerſitas ab aula ſenſim cœpit exulare.

CAPVT VI.

Res geſtæ ad corporum ſubſidia.

BENIGNITAS in pauperes illi ab adoleſcentia cōgenita, vt dixi, erat, ſed in Epiſcopali dignitate inſigniter enituit. Non enim facilè inaudiit quempiam è ſuis, vel abiectiſſimæ fortunæ hominem, moleſtia atque ægritudine corporis conflictari, quin vel ipſe inuiſeret, vel viſendum, ſolandum, atque aliqua ſua ope ſubleuandum curaret. Contigit anno quodam magna annonæ caritas,

& mercatores lucri auidi toto Aruernensi agro diffusi, Mosunum extremo, vbi Episcopi annona erat, manu pecuniis instructissima adierunt. Sed ille renunciari iussit, melioribus iam sibi cum mercatoribus conuentum esse, pauperes innuens, qui de annona, non æris sed cœli pretio transigerent; & nihil abfuit quin concurrentem ad huius rei famam multitudinem hominum ingenti largitate pasceret anno illo, & vestiret. Sed præstat Theofredum hac de re narrantem audire: Ecclesiasticos, inquit, prouentus semper in tres partes diuisit, quarum vnam Ecclesiarum sartis tectis, alteram domesticis necessitatibus, tertiam pauperibus constanter impendit. Sed triennio toto quod sequutum est annum Christi CIↃIↃXCI immensum fuit quod pauperum parti adiecit. 1591.
Neque enim dubito quin pauperum quatuor millia illis annis morte præsentissima, quam afferebat inedia, liberarit. Ac ne vlla eis deesset parte, ingentem etiam illis vim vestium per frigora impertiuit. Paucis pòst annis cùm rursum annonæ esset difficultas; domesticos Presbyteros allegabat ad Parochos, qui

in agris erant, numerum pauperum qui in Parœcia erant iniri iubebat, frumentúmque ad eos gratuitò conuehi, quantum in anno cuique opus esset, curabat, cùm domi interim suæ ingenti pauperum exercitu, quem pascebat, obsideretur. Ac fuit aliquando cùm panes, qui domi erant, pecuniámque præsentem dando exhausisset, vt Mercator quidam Cameracensis cum puerulo, propè nudus eum interpellaret, quo sui misereretur, & ille cùm ad manum aliud non esset, vestes quibus vti solebat intimas dono daret. Billomi quandiu fuit, omnes in vrbe pauperes aluit, ac si quando in morbum inciderent delicatiùs pauit, Medicos cuique ac Chirurgos ære suo conducens. Ac vide quid illi aliquandò in mentem venerit. Mos obtinuerat popularis vt ad festum S. Ioannis Baptistæ diem quadam in platea velo sol arceretur, atque illò pauperes omnes qui in xenodochio valebant confluerent, totámque diem in saltationibus consumerét, oppidò ineptis ac leuibus. Episcopus ne populi animum vetusto more abrogando offenderet oppandi velum soli est passus, sed mensas postea

ſub illo ſterni iuſſit, vt pauperes confluentes epulo exciperet, & cæſis boue, porcis, & arietibus aliquot ſtatuerat cum familia illis ipſe miniſtrare; ac de ſalute æterna inter edendum eos copiosè admonere, ſed obſtitit grauis ac repentina febris quæ eum lecto affixit. Domeſtici quod ſtatutum erat abundè peregerunt.

CAPVT VII.

Inter Cardinales aſciſcitur.

FLVXERANT aliquot iam anni in Gallia turbulenti; ac Franciſco cum primis luctuoſi, quibus ſcilicet ille, & fratrem natu minimum morbo, & natu maximum prælio perdidit, familiámque Randanam breui poſtea ad puellulã vnicam, ſed magni iam tum animi, ingenij, atque virtutis feminam Mariam Catarinam de la Rochefoucauld recidiſſe vidit. Sed Franciſcus nihilo ſecius id egit, vt Catholicæ, atque auitæ fidei nullo loco deeſſet, atque vt primùm Henricus IV. Eccleſiæ eſt reſtitutus, quòd ſatis conſtaret ipſum non ſtudio partium, ſed religionis ac fidei amore ab illo

prius abductū, Regiis est obsequiis rursus deuinctus anno Christi CIↃIↃXCV, 1595.
nec multò postea nouis est à Rege dignitatibus exornatus. Præceptoria enim Ordinis Equitum Sancti Spiritus, quæ quatuor tantùm in Regno Episcopis conceditur, Regio tunc illi rescripto desponsa fuit; atque decimotertio pòst anno cum Magni Eleemosynarij honore concessa. Vertit subinde consilia omnia in Episcopatus sui vtilitates, perpetuus in visitatione, atque institutione Parochorum. Quam rem cùm à decessoribus Episcopis per Procuratores administratam comperisset, eúmque morem non leuibus incommodis plebis, ac Parochorum damnis cōiunctum censeret, mutauit videlicet, & alienis oculis de eo quod curæ esset suæ, credere non sustinuit. Visitauit igitur enixè omnes, sed suis sumptibus, ne vel populis iniucundior adueniret, vel Parochis. Quin è contra larga semper manu quacunque transibat, & populorum, & Parochorum indigentiam subleuauit. Hinc omnium illi aperta ora & corda, vt nec ignoraret, quæ curatione indigerent, nec vllos remediis aduersantes

pateretur. Inter hæc adfuit annus Christi CIↃIↃCVII. quo illi optima parens interiit. Mulier planè sancta, quæ laudatissimam annorum quadraginta quinque viduitatem omni virtutum genere cumularat. Eam Episcopus in Ecclesia Societatis IESV Billomensi in melioris expectationem vitæ composuit. 1607.
Egit eodem anno Rex cum Paulo V. Romanis infulis biennio antè adornato, vt Franciscus in Cardinalium Romanæ Ecclesiæ album referretur. Narrabat autem in literis, quibus eum Pontifici commendabat, non id se priuatæ amicitiæ causa postulare, cùm Episcoporum extremus ad suam venisset gratiam, sed vitæ illius meritorúmque respectu. Itaque haud diu postea cùm suo gregi intentus nihil cogitaret huiusmodi, renunciatus est Cardinalis Romæ mense Decembri.

CAPVT VIII.

Transit in Episcopatum Siluanectensem, & Miciacense Monasterium reformat.

1608. VENIT deinceps anno CIƆIƆCVIII in aulam, vt misso Roma pileo Regia manu indueretur, vbi cùm intelligeret Regi esse in animo, vt ad communia Ecclesiæ negotia sibi præsto esset, non putauit Claromontanum Episcopatum, quòd Parisiis procul abesset, sibi retinendum. Id cùm aliunde inaudisset Antonius Roze Siluanectensis Episcopus, qui econtrà Parisiis procul degere cupiebat, mutuæ illi translationis optionem detulit, nec refugit Cardinalis, si Pontificis Regísque voluntas accederet, & iure inter se conuenire Episcopi possent. Erant enim Episcopi Siluanectensis prouentus longè vberiores, quàm Claromontani. Ergo vt fieret peræqua prouentuum commutatio obtulit Cardinalis Monasterium Miciacense apud Aurelianenses, quod sibi olim fuerat attributum, vt in Antonium cum Claro-

montano Episcopatu transferretur, ea prouentuum parte decisa, qua Siluanectenses excederentur. Sed priusquam pergamus porro pretium est operæ meminisse quæ ille commoda huic Monasterio, vt solebat aliis, contulerit. Obtinuerat illud cessione materni cuiusdam propinqui, viri Itali, cúmque eò ineundæ possessionis, visendique gratia aduenisset, nihil in Monachis sanum, nihil castum, nihil religiosum comperit, Illum quin etiam qui cæteris eo loco præerat, sub Monachi veste, matrimonio nexum esse ex ipsis tabulis coniugalibus, eius in cubiculo repertis, agnouit. Quo portento mirificè permotus rem totam ad Regem detulit, qui videlicet, vt par erat, excandescens negauit id genus homines Dei copiis, donatiuis populorum, pauperum patrimonio iure ali in posterum debere, rogauitque Cardinalem, vt dispiceret quid ei malo afferri posset medicinæ. Ille re accuratè perpensa, ac consulta retulit non videri sibi tantam morum peruersitatem, omnísque religiosi officij ignorationem vlla animaduersione emendari posse. Itaque nihil esse procliuius, quàm vt eò in-

ducerentur probi ac disciplinæ gnari & retinentes alij Monachi, qui peruersos hosce alerent, atque interim, si possent, ad meliora vel pellicerent, vel cogerent; cúmque tunc in Ordine Benedictino nullæ essent familiæ quæ primæuam disciplinam aut retinuissent aut recepissent, præter Feulliantinos, auctor Regi fuit, vt eos illò de Pontificis voluntate inferret. Probauit Rex consilium, & omnibus ritè transactis Romæ, negotium Cardinali dedit vt rem conficeret; qui Michaëlis Marilliaci, postea Sigillorum Regni custodis opera vsus Feulliantinos, qui hactenus illic degunt, in Monasterij possessionem misit. Rebus ergo omnibus cum Siluanectensi & Romano Pontifice compositis, Siluanectensis Ecclesiæ thronum anno iam dicto subiit.

CAPVT IX.

Romam ad Ecclesiæ Gallicæ negotia mittitur.

VISVM deinde est Regi anno
1609. CIƆIƆCIX vtilem eius Romæ operam fore Ecclesiasticis Regni nego-

tiis, nec Cardinali quidquam obtingere potuit gratius, quàm vt Ecclesiæ quam medullitus adamabat aliqua re commodare posset. Iter ergo suum illò cum lectissima familia breui dirigit, tanta de omnibus cura ac solicitudine, vt tum tantùm quietem caperet, cùm omnium quieti prospexisset. Habuit eo in itinere secum adolescentem egregium familiæ Langiacæ, quæ gente est Rupifucaldia, caput: Eum cùm morbus, qui pueros solet, in itinere inuasisset, papulæ cute tota efflorescentes, non dubitauit Cardinalis lectica, lecto aliísque illi commoditatibus suis cedere; & vir tantus quinquagenario iam maior in vulgari equo Alpes transmittere. Sed Deus illi charitatem ex charitate cõserebat. Dum enim paulo liberiùs ex equo, quàm ex lectica, prærupta illa montium valliúmque latebras circumspicit; visus est sibi quodam in recessu hominem conspicere sanguinolentum brachia agitantem, atque vt poterat auxilium postulantem. Iussit ergo vni è suis eò vt excurreret, qui cùm retulisset hominem esse à grassatoribus interceptum, & multis impositis vulneribus pro mortuo illic derelictum,

descendit eò illico nouus miserabilium hominum Samaritanus, & cùm vnum è suis rogasset, vt pedibus tantisper iter ageret, lacerum corpus equo in proximum oppidum inuexit, Chirurgum qui sanare conaretur conduxit, & larga miserum manu muneratus Romanum iter est prosequutus, quod vt confecit, non regni minus negotiis quàm totius Ecclesiæ commodis visus est Pontifici Romæ opportunus. Vbi ergo aduenit, Congregationibus S. Officij & Episcoporum ac Regularium ab eo addictus operam illis perpetuò præbuit, Bellarmini in primis Cardinalis, & consuetudine delectatus, & exemplo permotus. Sed insignis inter alias ea cura fuit, qua Ordinibus Religiosis studuit. Cùm enim florere tum primùm in Gallia cœpisset Congregatio Franciscana, quam Recollectorum vocant, eáque non mediocriter aduersantes pateretur eos, qui tam arctis disciplinæ vinculis nollent obstringi, tutissimum rerum suarum præsidium Romæ apud Cardinalem Rupifucaldium inuenit, qui à Cardinali Arigonio Ordinis protectore vocatus in consilium auctor fuit, vt ne ea Congregatio minus reli-

giosè viuentibus Præfectis subesset, sed suos haberet seorsim arctiori vitæ assuetos, atque nonnulla illorum domicilia istis in vnaquaque Prouincia contribuerentur. Quibus ex rebus is póstea fructus extitit, quem nunc Ecclesiæ gratulamur. Desiit etiam per ea tempora in viuis esse Cardinalis de Giury Gallus, cui Protectio Cistertiensis Ordinis erat concredita, eam Paulus V. in Cardinalem Rupifucaldium illico transtulit, cuius in eum Ordinem innumera postea fuerunt officia. Nam & Præfecturas eius viris non Religiosis extra regnum attribui crebrò vetuit, & intra regnum piè ac religiosè viuentes fouit semper, ac promouit. Erga Societatem IESV iam olim & verbis & rebus fuit prolixissimus. Cùm enim à prima adolescentia persuasum illi esset plurimas ab ea in publicum vtilitates proficisci, viderétque Pontificum, ac Tridentini Concilij in eius instituto commendando conspirationem, nec facilè tolerabat Catholici nominis homines illius famæ detrahentes, nec cessabat labores eius, ac certamina, quibus poterat rebus subleuare. Iam illud Ecclesiæ communiter contu-

lit, quòd pars Basileensis Concilij post schisma habita & in vetustis editionibus vano quodam offensionum metu hactenus conseruata, vt deinceps expungeretur Pōtifici, & Cardinalibus auctor fuit.

CAPVT X.

Reuersus in Galliam Regni Comitiis interest.

FVNGEBATVR Romæ Protectoris Franciæ munus, cùm in Regnum
1613. est reuocatus anno CIↃIↃCXIII, tantúmque illic sui reliquit apud omnes desiderium, vt nulla esset natio, quæ & beneficentiam eius quadriennio, quo adfuit non esset experta, & absentiam non deploraret: Trenorchio dum iter haberet, Franciscanorum, qui Recollecti dicuntur Monasterij primum lapidem posuit, & pecuniæ vim non minimam in ædificium numerari iussit. Inde Parisiis flexit Siluanectum, vbi non longè postea delectus est ad Comitia toti
1614. Regno indicta in annum CIↃIↃCXIV. Sed priusquam illa haberentur, cùm Rex egressus ex ephebis Maiorem se in

Senatu Parisiensi declararet, locum Franciæ Parium cum aliis Cardinalibus Regis mandato occupauit. Sequuta sunt eo anno die XIII Octobris Comitia Regni, & altero post eorum initium mense quæsitum est ab Ecclesiastico Ordine conspirante nobilitate de Concilio Tridentino admittendo, & publicando, postulatúmque à Rege vt eam ad rem illius auctoritas interponeretur. Sic enim rogarunt. Ecclesiastici Regni tui Domine, sequuti decessorum suorum humiles preces maioribus tuis Regibus crebrò oblatas tum in Comitiis Regni, tum in Conuentibus Ecclesiasticis, ac rati se nec posse nec debere ab ea re vnquam cessare, in qua non solùm Dei maximus versatur honor, sed totius etiam huius Monarchiæ, quæ tam multis ab annis mirantibus reliquis nationibus quandam dissidij notam fronte præferre videtur, obtestantur supplices Maiestatem tuam, vt relictam tibi ab aliis lauream amplexus iubeas, vt Concilium vniuersale & Oecumenicum Tridenti habitum admittatur, ac promulgetur in hoc Regno tuo, eiúsque constitutiones obseruentur, nullo interim iurium Maiestatis

ctuæ intertrimento, nulla libertatum Ecclesiæ Gallicæ, aut priuilegiorum, quibus Ecclesiæ, Monasteria, & Communitates fruuntur, labe. Quæ vt seruentur integra atque illęsa, ea promulgatione non obstante, à summo Pontifice postulabitur. Verùm Rege postea grauissimis distento negotiis & turbis, nihil huic rei afferebatur remedij, nisi Cardinalis Rupifucaldius fuisset, qui vt mox dicam ista vsus postulatione quæstionem restituit, & quantum in ipso fuit malo medicinam fecit. Sed illud non postremo loco est ponendum, quòd in eisdem Comitiis tum ab ipso, tum ab aliis Ecclesiæ Præsulibus actum est, ne laïcorum de Theologicis rebus, Ecclesiæque doctrina vlla cognitio esset aut definitio.

CAPVT XI.

Præest Conuentui Cleri Gallici admittenti Concilium Tridentinum post Comitia.

SOLVTA sunt Comitia anno
1615. CIↃIↃCXV circa mensem Martium, & proximo Maio magnus Cleri Gal-

Gallici Conuentus de more coiit, ad quem cùm in Prouincia Remensi lectus esset Cardinalis Rupifucaldius, cui vt præesset cæteris dignitatis prærogatiua donabat; non longo pòst interuallo, quàm conuentus ille cœpisset occasione ex eo capta, quòd Ordo Comitiorum Ecclesiasticus Conuentum mense Maio cogendum enixè obtestatus esset, vt de quæstionibus in Comitiis propositis aliquid statui curaret, misit omnes prouincias eius Conuentus in consilium de eo quod facto opus videretur circa Tridentini Concilij promulgationem. Atque ex eo consilio, vt ipse refert libro pro Clero Gallicano Sectione XXI hanc retulit sententiam. Die Martis VIII Iulij anno CIↃIↃCXV, Præsidente Cardinali de la Rochefoucauld, Conuentus Cleri cùm in consilium iuisset de acceptatione & promulgatione Concilij Tridentini, quarum caussa sæpiùs oblatæ Regibus preces fuere, tum in Comitiis, tum in Conuentibus Ecclesiasticis, dum expectat Regis hac de re optata responsa, sequutus responsum Regis Henrici IV ad postulationes Cleri anni CIↃIↃCII, quo sanxerat vt Concilij

Tridentini Constitutiones & Decreta seruarentur, virósque Ecclesiasticos, vt in id incumberent adhortatus erat, maturáque vsus consultatione sic sanxit. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati & alij Ecclesiastici, totius Galliæ Cleri personam sustinentes, & Regis cōcessu apud Augustinianos Parisienses coacti, post consultationem plurimam de Promulgatione Concilij Tridentini vno omnes sensu agnoscunt ac declarant teneri se conscientiæ legibus Concilium Tridentinum admittere, ac reipsa admittunt, illúdque se obseruaturos pollicentur quantum possunt auctoritate spirituali & pastorali. Atque vt ea admissio solemnior sit, & contestatior, censent Concilia Prouincialia intra sex menses vbique cogenda, eáque de re Archiepiscopos & Episcopos hinc absentes literis huiusce Conuentus interpellandos rogandósque esse, vt iuxta Comitiorum postulata, Concilium Tridentinum in Prouincialibus omnibus admittatur, ac subinde in Synodis Episcopalibus idipsum præstetur. Quòd si quæ fortè Prouincialibus Conciliis obstacula fuerint obiecta, tamen in Syno-

dis Episcoporum proximis admittatur. His Prælati omnes atque Ecclesiastici qui aderant subscripserunt, ac promiserunt acturos se quantum in se esset vt obseruarentur. Sequutum est posthæc ea de re iuramentum tactis Euangeliis, ipsius primùm Cardinalis Rupifucaldij, tum Archiepiscoporum septem, Episcoporum quadraginta quinque, Ecclesiasticorum secundi ordinis triginta. Accessit, dimisso Conuentu, subscriptio Cardinalis Pertonij eadem die, quòd morbo tentatus abfuisset, & paucis pòst diebus Cardinalis de Gondi qui Parisiensi Episcopatu iam cesserat. Ita habent Acta, illius Conuentus sigillo obsignata, & à Secretario Behety subscripta.

CAPVT XII.

Res gestæ in Episcopatu Siluanectensi.

REDIERE posthæc domum qui illi Conuentui interfuerant Episcopi & Ecclesiastici, Cardinalis item Rupifucaldius Siluanectum secessit, vbi omnes curas vertit in Ecclesiæ suæ commoda, & omnium quæ ad eam attinerent

restaurationem atque illustrationem. Cúmque antehac nullas optimi Episco-
1616. pi partes omisisset, tum anno CIƆIƆCXVI in illud in primis incubuit, vt Parœciarum Presbyteros haberet ad munus, quod gerebant instructissimos. Eapropter & ipse quotannis singulos domi inuisit, horásque benè prolixas illis priuatim instituendis impendit, & dum abiret vicinos inter se aliquos conuenire ad vnum ex eruditioribus aliquoties in hebdomada iussit, vt fierent mutuis de officio dissertationibus peritiores. Quos verò inuenerat imperitissimos eos mensibus singulis Siluanectum ad se euocabat, vt quantum ex priuatis congressibus profecissent agnosceret, atque ad meliora animaret. Iam quia praua inoleuerat consuetudo, vt Canonici vrbani Parœcialibus Ecclesiis, vnde ferè aberant, præficerentur, pugnauit tam acriter contra eum morem Cardinalis, vt cùm magistratu abiit nullus esset Parochus qui in sua non resideret Ecclesia. Non dispar fuit eius in Religiosos Ordines studium, siue vt nouos ciuitate donaret, siue vt veteres disciplinæ splendorique pristino restitueret. Capuccinos collata de suo

ad ædificium non parua pecunia eò induxit, cellulámque sibi apud eos nihilo aliis maiorem reseruauit, in quam dum sinebant negotia se abscondebat victu contentus religioso, id est pauperrimo, mediæ noctis precationes frequentabat, nullúmque Religiosi illius instituti morem missum faciebat. Erat Siluanecti vetus Sancti Vincentij Monasterium, in quo Religiosi plures Sancti Augustini Canonici parum degebant religiosè; sed pauci aliquot tandem ex eis ad vitæ Religiosæ integritatem respectum habuerunt, quos adeo consiliis, præsidiísque suis sustentauit Cardinalis, vt non id tantùm Monasterium, sed plura etiam alia breui postea fœcunda sanctitatis sobole obstetricante illius manu compleuerint. Virginum subinde Monasteriis, tum in cæteris rebus, tum quod hactenus deerat in arcendo virorum ad illa ingressu, seuerè ab illo est prouisum. Denique populo vniuerso non tantùm perpetuos fidei officiique Christiani monitores tota Diœcesi adhibuit, qui è Societate IESV crebrò fuere, sed etiam si quid inciderat egestatis ita prospexit, vt nullum faceret beneficentiæ finem.

Domesticos presbyteros ad egenos domum mittebat, carnem, panem vestem, singulis erogabat, aut pro eis pecuniam, Patrem è Societate aliquem illis addebat qui ad sacramentum pœnitentiæ probè iam donatos alliceret, Medicum, Chirurgum , Pharmacopæum annuis stipendiis conducebat, vt ægros pauperes nullo eorum sumptu curarent, coquinam peculiarem in eorum cibos apud se instituit, vestium, & lectorum copiam tantam erogauit, vt iniri numerus à nemine potuerit.

CAPVT XIII.

Magnus Regis Eleemosynarius creatus multa præclarè gerit.

FVNESTVS post hæc fuit viro insigni Cardinali Perronio annus
1618. CIƆIƆCXVIII, fecítque vacuum magni Eleemosynarij locum, quem ille in aula tenebat. Eo statim accersitus est Cardinalis Rupifucaldius, & defuncto suffectus, qui se totum ei muneri gerendo addixit, opportunum nactus pauperibus susceptis clientibúsque iam pri-

dem ſuis benefaciendi campum, vt quidquid antea ſponte & clanculum, id iam ex munere, copioſè & palam perficeret. Itaque Iuriſperitorum ac Theologorum aduocato conſilio Xenodochia Regni, quæ in Magni Eleemoſynarij poteſtate ſunt, ſeriò inſpicere; legibus ac moribus componere, priuilegiis non dubiis communire, quidquid eò vel imperitia, vel incuria, vel peruerſitas hominum vitij intulerat pro virili parte emendare, Rectores ſpectatæ virtutis domibus præficere, ac pauperum commodis quacumque licuit proſpicere eſt aggreſſus. Ambiebant tunc plurimi Eleemoſynarij minoris ordinis nomen, non vt Regiis obſequiis quidquam conferrent, ſed vt litigantes, fori priuilegio ac tribunalis fauore, & longinquitate poſſent frangere, aut de iure dimouere. Ea res cùm Cardinali viſa eſſet periniqua, egit quammaximo potuit opere, vt iſti nomine ſolo Eleemoſynarij in poſterum ne à Rege crearentur. Diuinis Officiis, quæ in aula agebantur vt grauitas ac dignitas ineſſet multùm ſategit, eámque ob rem ornatum omnem ad pietatem ac ſplendorem accommodatiſſimũ ſem-

per accurauit. Profectum enim ab animo pietatis, & diuinitatis inimico aiebat illud. In templis quid facit aurum? Nam siquid vsquam alibi facit aurum, id certè maximè in templis vbi monumentum est pretij quo diuinitatem æstimāt homines, cui rem apud se tam pretiosam dicant. Hæc ego ex eius aliquando ore accepi. Pecunias eleemosynis Regiis destinatas ne aliò, vt fit, deriuarentur impensè laborauit, magnáque solicitudine in pauperes dispensauit. Si quando custodia essent aliqui liberandi, quod in Regum nuptiis aliísque celebritatibus solet, incredibili solertia expendebat an quid inde in partes manaret detrimenti, ac si quid id esset in Regem potiùs cuius liberalitate id agebatur, quàm in eas detrimentum deriuabat. Aulicorum pœnitentium confessiones, ne quilibet promiscuè sacerdotes exciperent seriò cauit, ac si quando adesse ipse non poterat, per literas Episcopos locorum vbi aula hæserat rogabat, vt probatos sacerdotes eam ad rem in aulam summitterēt. Ecclesiasticas Præfecturas nullas sibi verbo, aut signo vnquam depoposcit, sed vbi alicuius doctrinam, &

mores probarat, non ſegniter eum Regis notitiæ inferebat, decoráque eius claro in lumine collocabat. Denique Aulæ ſpes ac metus ex æquo ſemper deſpexit, nec aliam promerendæ gratiæ artem agnouit niſi probitatem.

Capvt XIV.

Pacem cum Regina matre conciliat, & præficitur Monaſterio S. Genouefæ,

TVRBATVM eſt nonnihil in Gallia ad annum CIↃIↃCXIX, quòd 1619.
Regis mater biennio antè Regni adminiſtratione mota, plures obtendens eorum, qui tunc in aula plus poterant in ſe offenſiones deſerta, quam filius præſcripſerat ſtatione, ad procerum quorumdam præſidia perfugiſſet. Viſus eſt Cardinalis idoneus, qui animos vtrimque exulceratos deliniret, atque ad concordiam reuocaret. Itaque Encoliſmam ad Regis matrem legatus tam ſuauiter, atque ingenioſè mentem eius pertractauit, vt euulſis omnibus ſuſpicionum, atque offenſionum fibris, nihil illa ſe

tũc profiteretur habere antiquius, quàm vt in filij conſpectum veniret, paucíſque ſubinde perſcriptis conditionibus apud Turonos mater in amplexum filij, Regnúmque in priſtinam tranquillitatem reuerteret. Excepit inde redeuntem Cardinalem Rex amantiſſimè, cúmque per eos dies audita eſſet mors Epiſcopi Laudunenſis, qui Monaſterio Pariſienſi S. Genouefæ Præfectus fuerat, & Monachi fratrem defuncti, qui Monachus non erat, ſibi Abbatem poſtulaſſent. Rex qui Monaſticam diſciplinam ei Monaſterio reſtitutam eſſe magnopere volebat, cenſuit ad id negotium nullum plus voluntatis, atque efficacitatis afferre poſſe, quàm Cardinalem, reiectáque illorum poſtulatione ei detulit præfecturam. Verùm ipſe antiquum retinuit inſtitutum, ac cùm beneficia plura ſemper refugiſſet, Archiepiſcopatum Lugdunenſem ſibi ab Henrico & Ludouico Regibus oblatum in alios lubentiſſimè paſſus eſſet transferri, & de Præfecturis S. Arnulphi Metenſis, & S. Manſueti Tullenſis ſibi à Pontifice donatis iure experiri neglexiſſet, tum iſtam S. Genouefæ Præfecturam, quòd nunquam an-

tea commendatitio nomine collata esset, negabat à se posse admitti. Victus tamen est ad extremum Regis constantia & piorum doctorúmque hominum suasione, qui præ disciplinæ eo in Monasterio restauratione, nihili ducendam censebant illam commendatitiæ Præfecturæ nouitatem.

CAPVT XV.

Concilium Tridentinum Siluanecti promulgat.

ANNOS iam propè quinque præstolabatur Cõcilio Prouinciæ suæ Remensis, quod in Conuentu Parisiensi, ad Concilium Tridentinum admittendum ac promulgandum, sancitum erat. Sed cùm videret rem quotidie prorogari, vtendum sibi censuit ea potestate, quam omnibus Episcopis fecerat idem Cõuentus, vt in Synodo sua cũ Parochis, atque aliis Ecclesiasticis singuli illud admittere ac promulgare possent. Itaque coacta Siluanectensi Synodo ad annum CIↃIↃCXX prima die Octobris, hæc 1620.
apud illam pronunciauit, & in Acta re-

tulit, vt ipse scripsit, libro pro Clero Galliæ Sect. xxi. In hac, inquit, Synodo iuxta decretum Conuentus Cleri Gallici declaro Concilium Tridentinum à me in hac Diœcesi admitti, eiúsque obseruationem in conscientia præcipi, tum in cæteris, tum maximè hisce in capitibus, de Sacramentis Ordinis, Pœnitentiæ, & Matrimonij, Residentia in Beneficiis, Prædicatione verbi Dei, ingressu in Monasteria, Nouitiatu & Professione Religiosa, aliísque eiusmodi. Quod verò attinet ad externam gubernationem iuxta eas quæ in Comitiis Regni sunt sancitæ conditiones. Eæ verò erant, vt iuri Regio, libertatibus Ecclesiæ Gallicæ, Priuilegiis & exemptionibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & communitatum nihil afferretur per eam admissionem, & promulgationem detrimenti. Subscripserunt his tum Cardinalis ipse primo loco, tum Archidiaconi, & Parochi omnes, Vrbani, Suburbani & alij. Sentiebat Cardinalis, vt sæpe est postea confessus, paucis se Episcopis hac in re exemplo fore. Amamus enim omnes liberam nostri potestatem, nec facilè noua nobis onera imponimus.

Sed reſponſum illi erat in promptu. Felix neceſſitas quæ ad meliora compellit. Neque verò abs ſe vt cuiuſquam ſententiæ præiudicium fieret aiebat hoc facto quæſitum, ſed optimum ſe factu cenſuiſſe vt tam grauis Conuentus, cui tot Cardinales, & Epiſcopi ſubſcripſiſſent, quot iuſto Concilio nationali ſufficere poſſent, auctoritas, ſenſúſque ſuus de Concilij Tridentini in Regno vtilitate, conſtaret, non in Actis tantùm Cleri Gallici publicis, ſed etiam in Siluanectenſibus, atque ſi poſſet omnibus Epiſcopalibus. Neque tamen nullus ex Epiſcopis eius eſt ſequutus exemplum. Sed Cardinalis quoque Surdiſius Burdegalæ, aliique alibi cum eo conſpirarunt.

CAPVT XVI.

Paci rurſum & Monaſtico Ordini operam dat.

LABEFACTATA fuerat anno CIↃIↃCXX factionibus procerum Regis cum Matre concordia, quam anno antè ſanxerat Cardinalis; ſed Rex trãquillitatis publicæ referre arbitratus, 1620.

ne impunè toties in Regno turbaretur, cęsis fugatísque apud Andegauos factiosorum copiis, pacem matri quibus à Cardinali priùs concepta fuerat conditionibus, reddidit. Quæ dum fierent aliam Cardinalis pacem conflabat inter Marchionem Rosnium Ducis Sullij filium, & Ecclesiam, à qua ille ob errores Caluinianos hactenus fuerat abalienatus. Verùm dum publicæ iuxta, ac priuatæ paci hunc in modum consulit Cardinalis in Gallia, graue illius animo atque instituto bellum, sed ab homine amicissimo illi Romæ adornabatur. Is fuit Cardinalis Bellarminus, qui Paulo V. de dignitate Pontificia atque de vita dece-
1621. dente ad annum c I ↄ I ↄ c x x I Ianuarij die x x v I I I, sequentis Februarij die nona, qua nouo Pontifici eligendo se in conclaue Cardinales receperunt, omnibus, vt vocant, scrutiniis Cardinalem Rupifucaldium suffragio suo Pōtificem dixit. Id cùm aduertisset Cardinalis Aldobrandinus, qui Bellarmino Cardinalatus auctor fuerat, Quid te inquit iuuat Bellarmine suffragium toties perdere. Plurimum, inquit ille, plurimum. Iurati enim omnes, vt nosti, spopondi-

mus dum hanc dignitatem ſuſcepimus, meliorem eligere in Pontificem. Ergo ſacramento ac conſcientiæ meæ ſatisfacio, qui meliorem Cardinale Rupifucaldio nullum agnoſco. Pereat ſanè ſuffragium, inſtituto tuo; ſed non perit meo. Hoc ego integerrimi laudatiſſimique hominis vel ſolum ſuffragium, ſi minus numero, certè pondere omnibus aliis anteſtare non ambigo. Quamquam video ſcripſiſſe nonnullos decem aut vndecim præterea ſuffragia in Rupifucaldium tunc conſpiraſſe. Quod etſi difficilis eſt apud me fidei, qui videam vna tantùm die in conclaui Cardinales tunc hæſiſſe, & omnium propè conſenſu vno, vt ſcribunt hiſtorici illius temporis, in Cardinalem Aloyſium breui ſuffragia conueniſſe, tamen fidem ſcriptoribus illis planè abrogatam nolim, cùm aliquid illis alicunde potuerit allucere, quod me nunc lateat. Actum eſt poſthæc Romæ apud Gregorium XV Regis nomine, vt Cardinali poteſtas attribueretur reſtituendæ Religioſæ diſciplinæ iis in Regni Monaſteriis, quæ vel bellorum calamitate, vel hæreſum contagio, vel

temporis longinquitate, hominúmque desidia à primæuis institutis plurimùm desciuissent. Nam biennio antè cùm Rex Turonis celeberrimum illud Sancti Martini Monasterium, quod Maius vocant, rei sacræ causa adiisset, offensus videlicet est non leuiter, vt res tunc erant, multis, quæ vel audiebat, vel videbat, veterémque pietatem, quam illic olim viguisse discebat, plurimùm desiderauit. Quam occasionem adeptus Cardinalis Radesianus, qui tunc Regio consistorio præerat, vehementer auctor fuit, vt Cardinali Rupifucaldio Pontificia ac Regia auctoritate munus imponeretur Monasteria ad pristinas institutiones reuocan-
1622. di. Cuius rei cùm anno CIↃIↃCXXII ad diem VIII Aprilis potestas illi, atque imperium rescripto Gregorij XV data essent, perscriptæ sunt mox Regiæ literæ, quibus cauebatur, ne quæ illi à quoquam eo in negotio conficiendo moræ, aut impedimenta iniicerentur.

CA-

CAPVT XVII.

Episcopatu Siluanectensi cedit.

SENSIT facilè Cardinalis tum cæteris aulæ negotiis, tum illa Monasteriorum cura Episcopalibus muneribus nonnihil offici posse, & quamquam erant viri docti benè multi, qui in tanta diœcesis cum vrbe Parisiensi vicinitate, támque angustis eius finibus id minimè censerent metuendum, tamen persuaderi non potuit, quin abdicato Episcopatu totum se nouis muneribus pro dignitate gerendis dederet. Itaque anno CIƆIƆCXXII, cùm omnibus vestigiis *1622.*
virum doctum, ac cum primis probum indagasset, in quem Episcopatum transferri curaret, nactus demum Nicolaum Sanguinum in Curia Parlamenti Consiliarium Ecclesiasticum, intellexit illico virum se habere secundum cor suum. Ac quoniam, vel accessu ætatis, vel muneribus aulicis necessitates rei familiaris accrescere videbat quotidie, partim beneficiola quædam in permutationem, partim pensionem pecuniariam, partim

ius conferendi Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis sibi à Pontifice, Sanguino lubente, reseruari optauit. Quæ Pontifex cùm prolixè concessisset omnia, missus est in possessionem Sanguinus, & anno proximo consecratus. Hæc ego dum scribo non possum animum continere, quin stringere me hoc loco stilum imperet in scriptorem quempiam, qui ante annos aliquot sub larua Petri Aurelij peruagatus, nullum propè passus est virum sanctum, ac probum esse in quem maledicentissimæ linguæ virus non effunderet. Episcopos quin etiam benefactores suos Cerbereo latratu (quod canes nostri non solent) insequi non erubuit. Is enim Cardinalem de la Rochefoucauld ausus est accusare, quasi iniquis conditionibus Nicolao Sanguino Episcopatum Siluanectensem cesserit. Ita videlicet per Cardinalis latus telum vibrans, vt successorem vulneraret. Non enim qui iniquas, ac scilicet illicitas conditiones admisit, magis sine noxa est, quàm qui obtulit. At tu nequitiæ atque imperitiæ columen non intelligebas beneficium iniquis conditionibus (quæ non possunt non esse pro-

inde illicitæ) dari, nisi etiam simoniacis, non posse. Nam ea conditio, quæ iure, vel iuris auctore Pontifice volente non inest in beneficio, si addatur cessioni, acceptationi & collationi eius, simoniam conflat. Quis autem dubitet quin conditiones iniquæ nullo iure in beneficio inesse possint? Itaque tibi simoniacus fuit Cardinalis de la Rochefoucauld, tibi Episcopus Siluanectensis simoniacus, addo & ad impietatis ac ignorantiæ tuæ cumulum tibi Summus Pontifex simoniacus fuit, qui etiam post eius consensum & approbationem eas conditiones ausus sis nominare iniquas. Sed offendam sat scio totius generis humani de Cardinale, Episcopo, ac Pontifice sensum, si hanc ignorantiæ ac malitiæ cloacam diutiùs moueam. Legit hanc in se calumniam Cardinalis dum viueret, & qui ad Ecclesiæ & Ecclesiasticorum hominum iniurias statim prosiliebat, vt depelleret, suam passus est abire tacitam. At nobis qui Cardinalis totiúsque negotij æquitatem, ac iustitiam habemus perspectissimam, vitium non leue fuisset tacuisse. Vide quid differant homines. Claudius Robertus

vir optimus in Gallia Christiana, vbi de hac cessione agit, Cardinalem vocat Christianum Catonem, nō solùm quòd in illo successoris delectu ingenio fuerit perspicacissimo, sed etiam quòd Catonis integritatem sit æmulatus.

Capvt XVIII.

Regis Consistorio præficitur, & S. Genouefæ Monasterium illustrat.

Cardinalem Radesianum mors abstulerat xvi Augusti in obsidione Montis Pessulani, & anno qui sequu-
1623. tus est proximè cIↄIↄcxxiii locum eius in Regis consistorio subire iussus est Cardinalis Rupifucaldius, Præses Consilij factus. Ab hoc, aliisque muneribus quantum illi superfuit temporis, id ille ferè in restituenda Religiosorum Ordinum integritate ac nitore impendit. Cùm enim Pontifex Romanus Canonicorum S. Augustini & Monachorum Cluniacensium, Cisterciēsium, atque omnino Benedictinorum, Reformationis causa, curationem illi esse voluisset, orsus à lare suo id est à S. Geno-

uefæ Monasterio, quod ab annis aliquot inhabitabat, Canonicos S. Augustini, quibus Siluanecti olim ad veterem disciplinam Monasterio S. Vincentij reddendam erat impensè opitulatus, eò accersit, Ecclesiam, claustrum, cellulas, aliáque vt vocant Regularia loca illis attribuit, eos verò qui antiquæ disciplinæ minus assuefieri poterant, iis locis constituit vnde nullo aliorum incommodo opportunis pietatis ac Religionis exemplis informari possent. Conuertit inde studium ad exornandam Ecclesiam, qua nulla est Parisiis, vel antiquitate spectabilior, vel Religione augustior. Ac primùm S. Genouefæ Virginis celeberrimæ, cuius patrocinio Lutetia nititur, monumentum in tenebricosa olim atque humili defossum specu, noua atque illustri crypta exædificata spectabile reddidit, columnísque marmoreis, ac picturis præclarè exornauit. Supra cryptam tetrastylo ex insigni marmore operi capsam, in qua S. Genouefæ corpus est, auro ac gemmis longè quàm antè cultiorem imposuit. Altaris præterea gradus marmore strauit, cancellósque illi ex ære, ac marmore cir-

cumposuit. Apsidem, & circumstructas cellas auro, ac picturis decorauit. Pronaon altaribus octo, marmoreis columnis, coronis, tectoriis marmore incrustatis, tabulísque elegantibus, ipsum demum vestibulum pulcris emblematis illustrauit. Nam quæ ille vasa, & capsulas Reliquiarum ex argento, quámque diuitem condendis sacramentorum vasis thecam aræ præcipuæ imposuerit, nullis satis verbis descripserim. Sanè illud non videtur ambiguum, quin diutissimè plus in eius Ecclesiæ ornamenta contulerit, quàm quanti essent Monasterij ad ipsum pertinentes prouentus.

CAPVT XIX.

Canonicos S. Augustini in Congregationem cogit nouam.

NIHIL opis erat neque in Pontificiis, neque in Regiis mandatis ad restaurandam in Gallia vitæ Religiosæ disciplinam, si non aliqui in singulis Ordinibus reperti essent qui diuina perfusi luce, vitæque perfectioris suauitate illecti ad maiorum suorum mores, primósque

que in obſeruando inſtituto feruores animum accommodaſſent. Soli quippe Deo efficax eſt in animos imperium, & reformatio morum animo potiùs quàm externa legum obſeruatione conſtat. Ergo quos optimè à Deo animatos ad Religioſæ vitæ integritatem agnouit eos ſibi cenſuit Cardinalis in vnam ſocietatem colligendos, ex qua facultas ſubinde eſſet varias aliò colonias deducendi, atque ei cùm nomen feciſſet Congregationis Pariſienſis, Conſtitutiones, quæ ad Regulam S. Auguſtini addendæ videbantur, perſcribi voluit, Monaſteria eius Ordinis quæ inſignis labes diſciplinæ deformaſſet à probatis viris inſpici, & deſcribi iuſſit, accitis in conſilium tum illius, tum aliorum Ordinum, in quibus Religionis ardor ineſſet, compluribus Patribus, quid ei labi remedij eſſet accuratè diſpiciendum propoſuit, eóque rem incredibili diligentia, ac ſolicitudine promouit, vt paucis pòſt annis rara eſſent in Prouinciis Pariſios ambientibus id genus Monaſteria, in quibus ſanctitas integritáſque Canonicæ S. Auguſtini diſciplinæ non reſtoreſceret. Verùm vt id bonum quo erat amplius

eo fieret diuturnius, egit in primis cum Rege Cardinalis vt Canonicis Regularibus Monasterij S. Genouefæ liberam esse sineret Abbatum suorum in posterum electionem, quod cùm impetrasset, ac maximo subinde opere vt ratum haberetur à Romano Pontifice, perfecisset, Abbatem tertio quoque anno deligi de Pontificis cōsensu, & ei quam dixi Congregationi esse voluit Generalem Præpositum. Sed ne vllæ essent Religiosæ vtilitatis, susceptíque consilij moræ iam inde ab illo tempore, vt Coadiutor sibi vnus ex Canonicis, fratrum suffragiis adoptaretur, postulauit, nec multis pòst annis perfecit. Nihilo secius iis quoque Monasteriis quæ extremis in Regni Prouinciis sita essent sua cautum voluit prouisione. Cùm enim vices suas viro Religiosissimo & antiqui instituti diligentissimo, vt ea Monasteria visitaret, commisisset, plurima quoque detersa rubigine in nitorem pristinum illis in Prouinciis reuocauit.

CAPVT XX.

Ordini S. Trinitatis & viduarum xenodochio ad ſanctiorem vitam opem præbet.

QVOD aliis vulgo Ordinibus Religioſis antiquitate ſua nonnihil labefactatis, hoc S. Trinitatis Ordini à multis iam annis præſidente Eccleſiæ Gregorio XIII contigerat, vt nonnulli laxioris diſciplinæ pertæſi ad mores antiquos primúmque Ordinis feruorem Pontiſaræ aſpirarent. Horum Gregorius ſtudia priuilegiis atque adhortationibus fulcire laborauit, ſed videlicet bonorum omnium hoſtis dæmon ſanctis eorum conſiliis multa opponebat obſtacula, dum plerique aliis moribus imbuti horum ſe Religione & inſtitutis ſugillatos interpretati omni ope ad priſtina eos itinera reuocarent, nouóſque progreſſus interpellarent. Quod cùm fuiſſet Pontifici Paulo V. renunciatum viſus illi eſt Cardinalis Rupifucaldius idoneus, qui & à nouellis hiſce pietatis ſtirpibus arceret iniuriam, & ſuis eas conſiliis at-

que auctoritate vegetaret. Ergo ille pro facta ſibi à Pontifice poteſtate ad annum Chriſti CIƆIƆCXIX indicto ad vallem Montis Morentiaci eorum qui ad meliora niterentur conuentu, collectíſque ſingulorum ſuffragiis virum egregiè probum, honoríſque minimè omnium appetentem Vicarium Generalem Congregationi Reformatæ præficit, aliis Ordinis Præpoſitis, qui laxiore viuerent diſciplina, omni cognitione atque Inquiſitione in mores & inſtituta eius Congregationis interdicit, aliáque eam in rem conducentia ſancit. Ita pace Congregationi data lætiſſimis eam pietatis ac Religionis prouentibus breui conſpexit cumulatam. Sed anno poſtea
1624. CIƆIƆCXXIV Vrbano VIII ſedem tenente, ſubreptitiis literis Pontificis penè oppreſſam, nouis rurſum conſiliis atque auxiliis ſubleuauit. Per idem verò tempus cùm Pariſiis domus hoſpitalis viduis mulieribus Deo per vota conſecratis ab Stephano Audrico olim, regnante S. Ludouico deſtinata, magni Eleemoſynarij cura ac prouiſione regeretur, atque earum mulierum inſtituta vetera eiuſmodi eſſent, vt non tan-

tùm hodiernas illius ſexus leges à poſterioribus Conciliis latas conuellerent, ſed etiam multa continerent ei ſexui in huius æui corruptela parum tuta; conſultius viſum eſt Cardinali nouis eas ac receptis legibus adſtringere, quàm veteres & iampridem à conſuetudine vſúque ſubmotas reuocare. Itaque decretum à Pontifice impetrauit, quo illis S. Auguſtini Regula atque ad eam Conſtitutiones aliquot hodiernis moribus conſentaneæ ſub nomine Aſſumptionis Beatæ Mariæ adiiciebantur, & domicilium eis ad Sancti Honorati Suburbium commutauit.

Capvt XXI.

Clero Franciæ conſilio & auctoritate aſſiduè adeſt.

FVit domus eius tum maximè cùm ad S. Genouefæ agere inſtituit, quaſi commune quoddam Oraculũ, ad quod vulgo concurrerent, & ij qui ab hæreſi reſipiſcentes aliquod rebus ſuis vel præſidium, vel ſubſidium depoſcerent, & ij, qui claro loco nati ad Eccleſiæ obſequia

animum applicarent, & ij quibus Rex beneficia ex Cardinalis, vt ſolebat, conſilio deferre vellet. Sed multo maximus eo fiebat Epiſcoporum conuentus ſiue laboranti aliqua regni parte ſubueniendum eſſet Religioni, ſiue Eccleſiæ tutanda priuilegia, ſiue hæreticorum conatibus obuiam eundum, ſiue alicuius Epiſcopi propulſanda iniuria, ſiue communes Eccleſiæ facultates procurandæ, ſiue aliquid à Rege in illius incolumitatem, ſplendorémque eſſet impetrãdum. Sanè ea fuit in eiuſcemodi cœtibus omnium erga illum veneratio, ea illius in dicendo ſentiendóque integritas, ac moderatio, vt pari eo voluptate, atque vtilitate cogerentur. Nullam verò rem ægriùs tulit, quàm cùm quid incidiſſet inter illos Eccleſiæ Præſules Pontificémque diſſidij, quo eorum conſpiratio in ſubditorum ſalutem retardari aut labefactari aliqua parte videretur. Itaque
1625. cùm anno CIↃIↃCXXV neſcio quo caſu in Conuentu Eccleſiæ generali ſemina quædam diſſenſionum inter illa Eccleſiæ columina & Religioſos Ordines à Pontifice ſubſidij cauſa ſubmiſſos infeliciter iacta eſſent, nec deeſſent qui

& iam olim, & dimissis maximè his comitiis, dogmata vulgare non cessarent vnitati ac concordiæ parum amica, non tenuit dolorem Cardinalis, sed publico scripto detestatus hominum quietis impatientium molitiones, maximos quosque Regni Magistratus præsentis admonuit periculi; atque vt in hisce schismatis fibris stirpitus exscindendis collaborare omnes vellent est magnopere adhortatus.

CAPVT XXII.

Probos ac doctos viros amplectitur, sed Religiosos maximè ex Societate IESV.

PROVECTA iam admodum ætate, viribúsque corporis non parum debilitatis cùm itineribus conficiendis, quæ Rex ad domandam hæreticorum perduellionem post annũ CIƆIƆCXXVI 1626 toto triennio crebrò suscepit, satis validus non esset, domum S. Genouefæ frequens incoluit, nec solitam interea de Republica solicitudinem intermisit. Doctis enim ac probis viris in consilium ac-

citis, ſi quæ fortè inciderant Catholicæ pietati aduerſa eis ſtrenuè obſiſtebat, & ſchiſmatum ſemina quæ ſubdolis quorumdam propoſitionibus in vulgus ſpargebantur, conuellere, atque extirpare magnopere ſatagebat. Scientiarum verò profeſſores, qui Regiis mererent ſtipendiis, quòd magni Eleemoſynarij curæ ſubeſſent, ſemper elegit quàm licuit optimos, ac Catholicæ pietati addictiſſimos, neque vmquam in eorum Collegium pedem inferre quemquam eſt paſſus qui fidei eſſet minus exploratæ. Fouere autem non ceſſauit eos, quorum mores atque eruditionem probarat, tum omnibus aliis officiis, tum æquiſſima ſtipendiorum, cùm res tulerat, attributione. Sed multo maxima illi tunc erat cum viris Religioſis conſuetudo, quos ad ſe frequentes euocabat vt de reſtituendis antiquis Ordinum moribus, atque inſtitutis conſilium caperet, vnde extitere & nonnullæ leges eam ad rem accommodatæ, & plurimorum Monaſteriorum Ordinis S. Auguſtini ad ea quæ iam erant reſtituta, acceſſio. Societatem IESV cùm inſignibus ſemper beneuolentiæ argumentis complexus eſſet

vniuerſam, tum Collegium Claromontanum cui vnus è præceſſoribus Aruernenſis Eccleſiæ Epiſcopis nomen dederat, inſigni beneficentia obſtringere olim aggreſſus, nullo poſtea tempore vel in vita, vel in morte prouidentiæ ac benignitatis ſuæ fructibus paſſus eſt manere deſtitutum.

CAPVT XXIII.

Decedit magni Eleemoſynarij munere, & fit Abbas Reomaenſis.

POSTQVAM annis tredecim Regiis Eleemoſynis integerrima fide, & circunſpectiſſima charitate præfuerat, nec iam patiebatur valetudo ipſum aſſectationis aulicæ perferre moleſtias, de dignitate Eleemoſynarij decedere ſtatuit anno CIↃIↃCXXX. Et obſtitit 1630.
Rex aliquandiu ei cõſilio, memor quanto ſibi ſolatio in diſtribuendis Eccleſiaſticis honoribus illius eſſet prouidentia, ac ſolicitudo. Non enim quidquam hac in re fieri præcipitatò atque inconſideratè, neque dignitatibus homines magis quàm dignitates hominibus hone-

ſtari patiebatur. Virorum quippe plurium piorum proborúmque teſtimonia de iis qui ad dignitates aſpirarent exigebat, nec facilè adducebatur, vt ſine illis ſuam de quoquam ſententiam diceret. Enimuerò cùm ſatis eſſet Regi perſpectum poſtea vires illius debiliores eſſe, quàm vt aulam tolerarent, & renunciatio dignitatis admiſſa, & honorifica ei miſſio eſt conceſſa. Collegij tamen Nauarræi adminiſtratio illi relicta, quam ille idcirco optarat, vt pios & egregiè ad Religionem propenſos, quod ſemper fecit, præpoſitos ei, quæ illic erat iuuentuti poſſet præficere. Hac ergo Regis gratia præſtanter vſus, & ſecum enixiùs habitare exorſus, ſpiritalia ad cœlum viatica pluribus hactenus modis eo in otio congerere non ceſſat, nec tamen interea oculos interdum non aduertit, tum ad Monaſteria, quorum Præfecturas hactenus gerit, tum ad alias Eccleſiæ vtilitates. Ac Reomaenſis quidem Mona-
1631. ſterij Præfecturam anno CIϽIϽCXXXI
Regia nactus nuncupatione, ſtatim quæ in eo vel longinquitas temporis, vel incuria hominũ labefactarat, orſus eſt reſtituere, Eccleſiam rudiore tectam ope-

re,

re, præclaro decorauit lacunari. Sancti Ioannis Reomaensis ossa ornamentis omnibus Caluiniano furore spoliata argenteo inclusit loculo. Ruinas ædificiorum non domi tantùm, sed in agris etiam restaurauit. Religiosam disciplinam iampridem exulantem accersitis de S. Mauri Congregatione Monachis postliminio restituit. Nihil denique non egit, vt antiqua reuiuisceret pietas, honores Sanctò Ioanni repararentur, Deo cultus accresceret, comprimeretur peccandi licentia, sanctissimísque exemplis populorum animi ad vitam piè Christianéque instituendam pellicerentur. Quam in rem non suos tantùm ille prouentus sed multo maximè solicitudinem prolixè impendit.

CAPVT XXIV.

Monasterio S. Dionysij prope Parisios Religiosam disciplinam reddit.

EMINET inter Galliæ Monasteria Dionysianum apud Parisios Regum tumulis illustre, opibus copiosum, sanctorum hominum corporibus veneran-

dum. Id cùm iam inde à Ludouici Pij Imperatoris temporibus ex S. Benedicti institutis ad pietatem Religiosam esset excultum, tamen siue temporum, siue hominum vitio eam erat disciplinæ labem perpessum, vt non tantùm eorum institutorum vsus exoleuisse videretur, sed ipsa etiã Religiosa Professio non iam ad S. Benedicti Regulam, sed ad nescio quas Monasterij consuetudines obstringeretur. Erant iampridem Regi molestæ tam conspicuæ in eo quasi Francici Monachismi oculo maculæ Itaque an-
1632. no demum c I ɔ I ɔ c x x x I I Pontificium rescriptum impetratum, quo Francisco Cardinali Rupifucaldio mandabatur de nouo, vt Benedictinis, ac Cistertiensibus Monasteriis antiquam redderet disciplinam. Ei rescripto cùm Regium diploma fuisset annexum, quo eius negotij peragendi ratio præscribebatur, consulto institutum est, vt à Dionysiano Monasterio Reformationis initia ducerentur. Ergo primarios ad se Monachos cùm euocasset Cardinalis facilè obtinuit, vt faterentur hæc duo. Alterum, Monasterij disciplinam ab antiqua norma plurimùm desciuisse; alterum non

facilè posse inter ipsos reperiri, qui ei malo facerent medicinam. Quæ cùm satis viderentur esse confessa; illud fuit consequens vt decerneretur aliunde accersendos, qui ex Pontificia Regiáque sanctione Monasterium in lumine pristino Religionis ac pietatis collocarent. Et erat ad manum Religiosissima Sancti Mauri Congregatio, quæ propè totam iam Galliam luculenta primigenij Benedictinorum instituti face collustrabat. Inde igitur cùm quinque circiter & triginta viros ad eius instituti normam præclarè factos eduxisset, Monasterium illis Dionysianum attribuit, veteres incolas pecuniaria pensione aspersos suas sibi res extra Regularia claustra habere, ne quietem Religiosam interpellarent imperauit, nouámque ei domui faciem approbante cœlo, Rege gratulante, totáque applaudente Gallia breui concinnauit.

DE VITA ET REBVS GESTIS FRANCISCI DE LA ROCHEFOVCAVLD S. R. E. CARDINALIS

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Ordinem Canonicorum S. Augustini propagare, Cistertiensem restituere satagit.

NOVVM mihi opus veteri conserendum video, dum ea quæ ante annos circiter tredecim de rebus gestis Francisci Cardinalis Ru-

pifucaldij priore libro ſum ferè complexus, recenſeo. Quòd enim neque pudor illius, immenſáque animi demiſſio ſinerent ſecretas ſibi virtutes ſuas à quoquam oculis obiici; neque ſatis prudentis videretur conſilij occultas bonorum operum coronas publico efferre præconio, dum is qui illas promerebatur adhuc in ſcammate & certamine deſudaret, multa mihi virtutum eius decora neceſſariò illo in ſcripto tacenda fuere. Sed virtutibus eius coroniſque tuto iam loco poſitis, id mihi agendum eſſe video, vt dum poſtremos hoſce tredecim vitæ eius annos hoc & tertio libro exequor, ſi quæ fortè non vulgaria virtutis exempla ſtilum priore libro fugerint, ea, cùm ſe occaſio dederit, non patiar obliuione perire. Igitur vertente anno Chriſti CIↃIↃCXXXIII, qui decimus fuit ab eo, quo Vincentianam Canonicorum S. Auguſtini Coloniam Siluanecto in S. Genouefæ Monaſteriũ traduxerat, tantum eius vel induſtriæ vel famæ pretium erat vt omnia circa Lutetiam Canonicorum Monaſteria certatim ſe cœtui Pariſienſi annectere laborarent. Iam enim tunc cenſebantur in eo *1633.*

Monasteria S. Catharinæ Vallis Scholarium Parisiis, S. Ioannis in Vallea, & S. Carauni in Carnutibus, S. Martini Niuernis, S. Petri de Rillè Fulgeriis, S. Dionysij Remis, B Mariæ Augi, Iardi Meloduni, S. Ambrosij Biturigibus, S. Lupi Trecis, vt non iam hominibus loca deessent, sed homines locis. Quod vt aduertit Cardinalis veritus videlicet est ne hominum penuriam rei familiaris angustiæ facerent, nec destitit donec de Monasterij S. Genouefæ prouentibus benignissimè cum Canonicis transigeret. Non enim, vt solet, pensionem singulis, aut tertiam omnibus redituum partem attribuit, sed cùm omnia propè Monasterij onera in se transtulit, tum plus dimidia agrorum parte, eáque longè fertilissima eos donauit, & quibus olim cessurus erat omnia, cum iis tantula portione sua in antecessũ, pietatis ac religionis promouendæ causa decidit, tam felici euentu vt ante mortem Monasteria plusquam quadraginta viderit eis aggregata. Maioris multo molis fuit, quod deinceps aggressus est negotium Cistertiensis Ordinis in pristina instituta, ac mores reuocandi, cuius rei cùm à Ro-

mano Pontifice ac Rege Franciæ noua mandata ſuperiore anno accepiſſet, hoc primùm anno ſpiſſo ac planè difficili operi manum de nouo admouit. Etenim vndecim antè annis prima illi hac de re mandata ab vtroque principe fuerant deſtinata, quæ ille vt in rem conferret, accerſitis ad ſe viris religioſiſſimis Nicolao Boucherat Abbate Ciſtertienſi & Dionyſio Argenterio Claraualleuſi multam cum illis diſquiſitionem inſtituit earum rationum, quibus quàm ſuauiſſimè vetus diſciplina Monaſteriis Ciſtertienſibus reſtitui poſſet; cúmque leges huic rei aliquot de illorum conſilio perſcriptæ eſſent, Pōtificia illas ac Regia firmauit auctoritate, & duobus illis Ordinis Principibus, vt in mores inducerentur plenus optimæ ſpei concredidit. Sed difficilè inueteratus mos deponitur. Redeunt illi ad ſuos, nec tantùm leges illas ſurdis, obduratíſque animis fruſtrà proponunt, ſed inaudito etiam atque incredibili auſu in Ordinis, vt vocant, Capitulo Generali, quod tunc fuit coactum, earum legum quas Pontificis Regíſque nomine ſanxerat Cardinalis abrogationem, atque antiquationem

coguntur tolerare. Inhorruerat tunc Caluinianis tumultibus Gallia, & silentibus per annos plures inter bella legibus dissimulabatur iniuria, donec anno demum posthæc decimo, nouo à Põtifice, ac Rege rescripto imperatum, vt de Cistertiensis Ordinis statu denuo anquireretur, & vetus ei splendor ac decor redderetur. Ei rescripto vt morem gereret Cardinalis, & ne quid improuisum pati se Cistertienses quererentur literas dat Abbati Cistertiensi, Pontiniacensi, Firmitatensi, Clarauallensi & Morimundano, qui eius Ordinis sunt columina, vt sibi præsto essent Parisiis ad diem octauam mensis Nouembris anni CIↃIↃCXXXIII. Tergiuersatum est ab his Abbatibus diutissimè, plurimúmque morarum interpositum, & ad condictam diem vnus tantùm adfuit Pontiniacensis, alij alia excusarunt, eorúmque non nemo pecuniarum penuriam obtendit quasi redituum locatores haberet in numerando difficiles. Sed Cardinalis cui terrena omnia præ Dei gloria nihili erant, sua omnia hanc in rem obtulit, vnúmque ex Abbatibus Congregationis Reformatæ eò ablegauit suo sumptu

qui prolixè ſponderet ſubſidia, & inanes moras abrumperet. Suaſit ille vt potuit, ſed nulli perſuaſit.

Capvt II.

Reſtitutioni Ciſtertienſis diſciplinæ leges dictat.

VBI omnia fruſtra tentauit & annus iam adfuit CIↃIↃCXXXIV, 1634.
Regem de iis quæ iam egerat docendum cenſuit, eiúſque in poſterum opem implorandam. Rex, qui id negotium magnopere confectum volebat veredarios illico ad eos mittit cum literis, quæ tarditatem caſtigarent, & præcisè iuberent Pariſios iter accelerare. Ita factum vt partim Aprilis vltimo partim Maij ſecundo Pariſiis adfuerint. Vidit eos Cardinalis lubentiſſimè, & humaniſſima oratione coram Abbatibus aliquot qui primatiam Ordinis diſciplinã iam complexi erant, aliiſque viris Religioſis enixè eſt adhortatus, vt conſpirantibus animis Dei atque Ordinis ſui honores adamarent, priſtinam ipſi integritatem ac ſanctitatem redderent, omnémque ve-

tustatis labem amolirentur. Eam ob rem rationes ipsi disquirerent quibus breuissimè Pontificia Regiáque auctoritate, quæ sibi in manu esset, collaborante, posset eò perueniri. Cúmque illi postulassent vt hac de re sibi licitum esset inuicem ire in consilium, annuit perlibenter Franciscus, & alteri consessui diem dixit perexiguam. Qua die cùm illi prolixa & longè antè perscripta dictata attulissent, quæ alia omnia quàm rationes restituendi Cistertij continerent, sensit facilè sibi moras ac ludificationes afferri, & visitatione Collegij Bernardinorum, quod est Cistertiensium commune Parisiis seminarium illico indicta; tertio pòst die illò profectus comitantibus Ordinis Abbatibus, qui in veteri disciplina vitam agebant, ex iis qui studiis illic operam dabant sigillatim est perscrutatus quinam essent cuiusque eorum, quinam communes Monasteriorum vnde aduenerant mores, atque vbi satis sibi visus est intellexisse magnam esse vbique & Religionis & omnis virtutis labem, nec in antiquioribus Religiosis quidquam opis esse quo huic malo fieret medicina, leges reformationi Cister-

tiensium hasce dictauit. Primùm pro iis qui pristina Ordinis instituta in vsum reuocassent. Vt Cistertium inducerentur postquam Episcopo, ad id delegato visitatori constitisset id Monasterium reformatione indigere. Idipsum Pontiniaci, Firmitate, Claraualle, Morimundi fieret, Religiosa omnia officia in Monasteriis soli gererent, ad Ordinis vestitum, & Professionem nemo quemquam admitteret nisi ipsi; si Nouitiis sustentandis sumptus deessent, conuentus Monasteriorũ indictam ad id pensionem soluerent, cũ in Monasteriis minoribus media veterũ Monachorum pars fato subducta foret, Monasteria occuparẽt Reformati, Collegij Bernardini Parisiis nũc primùm inirent possessionem, Prouisoris & Magistrorum Theologiæ munera soli exercerent, Procurator Ordinis generalis Romæ ex ipsis tantùm caperetur, alter Procurator in Gallia generalis ex eisdem institueretur, Vicarius Generalis eligeretur indidem, cui duo ex ipsis Assistentes ad omnia negotia attribuerentur, Abbati item Cistertiensi quatuor Assistentes è Reformatis adderentur qui ad plura suffragia cum ipso negotia de-

cernerent, Vicarius & Aſſiſtentes iam dicti in Comitiis Reformatorum in quadriennium legerentur, ius proinde ipſis eſſet Comitia inter ſe cogere ſeorſim ab antiquis, & in Comitiis, ſi res poſtularet, Aſſiſtentes mutare. Iam pro iis Monachis qui prima Ordinis inſtituta ſectari nollent hæ ab illo latæ leges. Vt in Monaſteria transferrentur lapſæ diſciplinæ, in quibus omnis illis cura ac prouidentia donec aduiuerent, vel reſipiſcerent adhiberetur, Abbas Ciſtercienſis caput eſſet Ordinis, ſed dum vetera inſtituta non ſectabitur, ius in Reformatos haberet nullum, niſi plura ſuffragia Aſſiſtentium quos diximus id ſtatuerent. Eadem lex eſſet quatuor aliis Ordinis principibus. Abbas Ciſtercienſis Vicarium, aut Religioſos emendare, transferre, gradu deiicere non poſſet. Capitulum generale nullos Vicarios aut viſitatores crearet, ſi qui creati eſſent ab eo auctoritate carerent: appellationes ad Abbatem Ciſtercienſem deferrentur, & ad plura eius atque aſſiſtentium ſuffragia deciderentur: ſi ipſe negligeret, Aſſiſtentes reciperent, & expedirent. Idem Abbas domos Reformatorum viſitare

per alium non poſſet, cùm ipſe viſitaret Aſſiſtentes ſecum adduceret: aliis Ordinis capitibus eadem lex eſſet: Abbatibus quinque Monaſteriorum principum vita functis eligerentur ſucceſſores à ſolis, & de ſolis Reformatis, cæteris nullo modo ſuffragium vel dantibus vel accipientibus: qui illorum domum aliquam reſtituendæ diſciplinæ cauſa incolerent eius domus profeſſi haberentur: cùm vel Ciſtertij pauciores eſſent viginti, vel alibi duodecim, ex domibus proximis vbi vigeret vetus diſciplina, numerus hic compleretur ad eligendos Abbatum ſucceſſores. Deniq; ſiqui Abbates non reformati præficerentur Monaſteriis nuncupatione Regia, ij, quamuis Religioſi, reditus haberent à Monachis prima inſtituta ſectantibus ſeparatos, vt ſolent commendatitio nomine præpoſiti. His ferè legibus tam illuſtri olim, támque generoſo Ordini priſtinum colorem ac robur reſtitui poſſe cenſebat. Agebatur enim his omnibus vt & illi qui ad primæua ſtudia virtutum animum applicarant omni obſtaculo liberi, & omni ope ac præſidio fulti, & celeres progreſſus facerent, conſtanter

vestigia in bono figerent atque in longam ætatem sanctitatem Ordinis propagarent. E diuerso autem vt ij, qui ad maiora niti nollent, nitentibus nocere non possent & præclaris virtutum exemplis ex eorum consortio imbuerentur. Numerabantur porrò hoc tempore Monasteria quindecim, in quibus renouatæ institutionis sementis operosissimè iacta lætissimo prouentu succrescebat.

CAPVT III.

Reddit primigeniam disciplinam Collegio Bernardino.

DVM hæc meditabatur, cudebat, ac recudebat Cardinalis, nihílque patiebatur abire de quo crebrius cum duodecim viris Religiosæ vitæ peritis, non iret in consilium, adfuit annus CIↃIↃCXXXV. Ac memini inter istas consultationes paucos fuisse viros graues, qui dum singula in disceptationem adducta tantùm attenderent, magnopere penderent animi quò consiliorum summa esset abitura; sed posteaquam in vnum omnia fuerunt collata, nemi-

nem fuisse qui non illius in peruidendis omnibus quæ ad rem facerent sagacitatem, in molliendis quæ dura videri poterant benignitatem, in stabiliendis quæ reparationem morum efficaciter obtinerent prouidentiam, non admiraretur. Senserunt id Cistertienses, quibus cordi non erant primæua Ordinis instituta, ac dum se in partem omnem vertunt vt Rupifucaldij industriam ac petitiones effugiant, visus est illis idoneus Cardinalis de Richelieu, qui omnia tunc in Regno moderabatur, vt cum Rupifucaldio componeretur, & commodum euenerat vt ad Regalem montem Cistertiensis Ordinis Monasterium haud procul Parisiis tunc hospitium haberet Cardinalis de Richelieu. Quò illi profecti longam orationem stomachi, ac querelarum plenissimam aduersus Cardinalem Rupifucaldium pronunciant, nomen Capitis, Protectoris, Reformatoris Ordinis ipsi deferunt, si eos aduersus Rupifucaldij molitiones tutari velit. Non ægrè intellexit ille, vt erat perspicacissimus, non tam accusationem hanc esse Cardinalis Rupifucaldij, quàm Reformationis fugam, nec sibi

committendum putauit, vt negotiũ tam illuſtre, támque à Rege adamatũ diſturbari pateretur. Reſpondet porro quidlibet ſe ab illis tituli, atque nuncupationis admiſſurũ, ſi ad prima Ordinis inſtituta ſeruanda animum accommodarent, annuentibus illis pacta quædam conuenta extemplo perſcribi iubet, in quibus tum alia capita, tum hæc duo ad priſtinam diſciplinam reſarciendam pertinentia continebantur, vt qui Nouitij in Ordinem Ciſtertienſem aſciſcerentur, ij ad domos reparati inſtituti omnes mitterentur. Et vt nulla domus quæ veterem diſciplinam non recepiſſet, Nouitium admittere auderet; ſi quæ faceret, irrita eſſet admiſſio, & profeſſio Religioſa. Recitata ſunt iſta Ordinis Principibus, & abruptè imperatum, vt ſubſcriberent, ſi quid impetratum vellent. Illi ancipiti conſtricti metu ſubſcribunt inuitiſſimi
1635. menſe Martio anni CIↃ IↃ C X X X V, ſed paucis pòſt diebus, cùm animum recepiſſent, impendio queſti ſunt apud Cardinalem de Richelieu, quòd ei ſcripto adacti eſſent ſubſcribere, quo ſine dubio ſancita eſſet reformatio, atque vt interpretabantur, ſtatus ſui euerſio. Hinc liqui-

liquidò intellexit Cardinalis nihil illos hac tota molitione agere, niſi vt Reformationem effugerent. Itaque ad Cardinalem Rupiſucaldium allegat qui dicerent. Pergeret porrò in ſuſcepto negotio, Regiſque deſiderio ſatisfaceret. Simul literas ei Regias & Veteranum militem mittit qui Regia Imperia pro Rupiſucaldij arbitrio contra rebelles, ſi fortè, interponeret. Ergo Rupiſucaldius ſexta die Septembris eiuſdem anni, cùm Epiſcopos aliquot, & Conſiſtorij Regij Conſiliarios ſibi vt adeſſent rogaſſet, Collegium adiit Bernardinum, quod commune erat iuuentutis Ciſtertienſis domicilium, & maximum reducendæ veteris diſciplinæ momentum. Illuc inducit certum numerum iuuenum, qui primæuam diſciplinam profeſſi eſſent. Prouiſorem, qui Collegij Prǽſes eſſe ſolet, eis præficit vnum ex ea, quam ipſi ſectabantur diſciplina, Procuratorem, & Magiſtros Theologiæ ex eadem inſtitutione capit, Magiſtros Philoſophiæ, ac reliquos adminiſtros Vicarij Generalis electioni permittit, Scholaſticos, qui priſtina inſtituta non ſuſciperent ad ſua Monaſteria remitten-

di Vicario ac Prouisori potestatem facit. Aderant eo in collegio tunc Abbates quinque primarij, nihil contrà obniti ausi, sed haud multò postea magnopere veriti ne ad Monasteria quibus præerant eadem, qua nunc facilitate propagarentur primigenia instituta, rursus ad tutelam Cardinalis de Richelieu sibi refugiendum consuerunt. Ibi Cistertiensis toto in Ordine Abbas Generalis suam illi Præfecturam defert, siquid sibi subsidij ad sustentandam vitam alibi attribueretur. Cardinalis, qui, vt ego interpretor, satis intelligeret nulli procliue esse in loca Parisiis dissita Reformationem inuehere, nisi ea, qua tunc ipse pollebat, auctoritate fungeretur, admisit conditionem, & Regia illi nuncupatione ad Episcopatum Lucionensem impetrata, sibi Cistertiensem ex illius renunciatione & Monachorum decreto Præfecturam attribui est passus. Timuit eo rerum statu Cardinalis Rupifucaldius, ac non nemo alius, ne eorum, quæ restituendo Ordini suscepta erant, plurima retro laberentur, atque vt Regi Regnóque constaret quid sibi eo in negotio mentis fuisset, sententiam, quæ iam

in rem iudicatam apud Collegium Bernardinum transierat, ita vt eam ab initio meditatus erat, typis extare publicè voluit, vt esset vel sibi fidei in gerendo negotio testimonium, vel aliis exemplum. Nec fefellit euentus. Nam Cardinalis de Richelieu eius egregiè premens vestigia auctoritatémque amplectens, quæ ille sensisset omnia sequi instit. Ac primùm Monasteriis circiter triginta voluit adauctam Congregationem, quam Rupifucaldius instituerat, tum Monasteriorum quasi Metropolin Cistertium noua Congregationis eiusce colonia frequentauit.

CAPVT IV.

Studio Religiosæ vitæ tenetur maximo.

INTER hæc plus aliquanto nactus quietis Cardinalis Rupifucaldius, quam dum refugientes, ac propè auersos à veteri pietate animos verbo, factóque in meliorem vitam redigere laborarat, cogitationes suas quas abs se nunquam procul patiebatur abire, penitissimè conuertit in seipsum. Voluebatur

1636. tunc annus Christi CIↃIↃCXXXVI bellis Regis Franci contra Hispanum, & Imperatorem infestissimus. Quamobrem Vrbanus Octauus, vt pacem veniámque cœlestium impetraret ad resarciendam Regum concordiam, Iubileum toto orbe Christiano celeberrimum promulgauit. Qua opportunitate præclarè vsus Cardinalis, cùm nullo tempore non sibi immineret quæsitor indefessus, tum hisce Iubilæi diebus totam sibi sub oculos vitam, quod non raró aliàs fecerat, à prima ætate ad annum, quem tunc agebat septuagesimum octauum collocare instituit. Nihil reliquit intactum, sed minima quæque fugientis memoriæ vestigia prosequutus totos interdum dies scriptitare, veteres chartas quæ ad rem facerent excutere, à duobus è Societate Iesv Patribus, quos secretorum suorum esse voluerat participes, omnium quas exponebat actionum momenta disquirere, si quod alienæ vel rei vel famæ detrimentum suspicaretur, incredibili cura vt repararetur satagere, eorum quæ gesserat munerum officia omnia minutatim perputare, quod omissum, quod negligentiùs gestum annotare. Vt enim ali-

quid malitiosè ab eo ſuſceptum eſſet non erat planè timendum. Tantus erat probitatis amor & animi totius ad bonum deſtinatio. Quatriduum deinde per interualla impenſum vt bono ſacerdoti cui iuriſdictionem in ſe & ſuos attribuerat in Eccleſiá S. Genoueſæ, omnes per Confeſſionem animi ſui latebras penitiſſimè aperiret. Atque ſubinde Iubilæi cæteris conditionibus perfunctus, nihil iam humile aut corporeum, ſed cœleſtia tantùm ac ſpiritalia ſpirabat. Librorum deinceps duo tantùm genera in manus ſumebat. Voluptatis quidem ac delectationis ſuæ cauſa eos qui affectum ad pietatem, & ſalutem perpetuam ſuccenderent, neceſſitatis autem reſpectu eos qui noui quidpiam cõtra Eccleſiam, Religionem, mores Chriſtianos mouerent, vt vel eos ſcripto refelleret, vel Regem & alios quorum intererat de præſenti periculo admoneret. Sed potiſſimus eius labor in prioribus fuit, quorum habuit inſignem copiam, nec ſenſit vnquam faſtidium. Vbi ab iis libris animum abduxerat, conſortio eum & colloquio virorum Religioſorum ſuſtentabat, quorum in eius domum inter in-

auſpicatas & ab humani generis hoſte inuectas cum aliquibus Epiſcopis contentiones, confugium fuit tutiſſimum. Religioſi ſtatus felicitatem, ac ſecuritatem commendare non ceſſabat, nec poterat æquis oculis eos, qui ab illo deſciuerant contueri, ratus, vt aiebat, parum in iis eſſe oportere boni, qui tantum neglexiſſent bonũ, cuius vel tenui imitatione vel deſiderio beatos ſe viri Sancti cenſerent, qui eo caruiſſent. Ac vide quid illi hæc vitæ Religioſæ opinio, atque exiſtimatio hoc anno perſuaſerit. Fouebat iampridem animo excellentem de inſtituto Societatis IESV ſenſum, eúmque magnis quotidie acceſſionibus cumulabat. Ergo communicato cum iis duobus quos ſibi aſciuerat conſilio, Patrem Stephanum Binetum Franciæ tunc Prouincialem, virum ſolertem, ac ſibi amicũ accerſit, rogátque impensè vt ſibi extrema hac ætate, quando citiùs id fieri per Eccleſiaſticas occupationes non fuerit conceſſum, aditum in Societatem à P. Mutio Vitelleſco tunc Societatis Præpoſito Generali impetret, atque ne res ad plures antè emanet, quàm ſit confecta, Præpoſitum ipſum

exoret, vt ab Vrbano Octauo eius rei poteſtatem ſibi fieri ſuo nomine demiſſè, enixéque poſtulet. Satisfecit Cardinalis noſtrorum amantiſſimi deſiderio Pater Mutius, atque id à Pontifice reſponſum tulit, quod iis ad P. Binetum literis renunciauit, quas ego hoc exemplo nullo mutato apice repræſento.

Reuerende in Chriſto Pater,
Pax Chriſti.

Adij ſummum Pontificem & eminentiſſimum Cardinalem Barberinum & rogata demiſsè, acceptáque ab vtroque ſecreti fide, ſancta eminentiſſimi Cardinalis de la Rochefoucauld ingrediendi Societatem vota expoſui. Laudarunt ambo mirificè pietatem & ſanctas de æternitate cogitationes. Verùm Summus Pontifex nec ætati neque dignitati exiſtimauit conuenire, vt hoc præſertim tempore vitæ mutaret inſtitutum. Sed cùm Cardinalis Barberinus fauere videretur tam piis tanti viri deſideriis, ſecundò & tertiò inſtiti apud Sanctitatem ſuam. Is tamen ſemper in ſententia perſtitit. Reſtat igitur, quando aliud præſtare non poſſumus, vt R. V. ipſi à nobis ſpondeat quæcunque ad ip-

ſius conſolationem fore intelliget; præcipuè verò ea quæ inſinuat ab ipſo expeti, nimirum vota Societatis emiſſurum in extremo vitæ ſi libuerit, ſuffragia quæ pro noſtris fiunt tota Societate habiturum, & multo plura pro ſingularibus beneficiis in nos collatis, excepturos nos magni theſauri loco tam pium depoſitum, corpus inquam, ipſius noſtra veſte, ſed non publicè, noſtro ſepeliendi modo, templo ac tumulo, modico quidem ſed manſuro: Noſtras interim domos eſſe illi apertas quoties, & quandiu in iis morari dignabitur. Immo nos illum intimo pectore perpetuò geſtaturos. Hæc ipſi noſtro nomine R. V. & deferat & certò confirmet, méque ſuis ſanctis ſacrificiis & precibus Domino Deo commendet. Romæ XXII Septembris anno CIↃ IↃ CXXXVI.

R. V.

Seruus in Chriſto MVTIVS VITELLESCVS.

Exoſculatus eſt hanc Pontificis voluntatem atque haſce literas Cardinalis & de mutando vitæ inſtituto verbum ampliùs nullum fecit. Verùm ne votorum merito ac ſcilicet ſolatio penitus care-

ret, id quod capite ſexto ſcribam ſeriò meditari inſtitit, atque anno ſequenti porrò perfecit.

CAPVT V.

Tenerrimæ Cardinalis Rupifucaldij erga Societatem IESV *affectiones.*

CRESCERE ſtudia, vel negata, vel dilata vulgati iam olim fuit experimenti, ſed in Cardinali noſtro recens eſt innouatum. Nihil enim illi dehinc adeo penſi fuit, niſi vt ad Societatis amorem, atque excelſam de eius inſtituto exiſtimationem aliquid ſemper adiiceret. Non nobis res noſtræ aduerſæ grauiùs, nec proſperæ iucundiùs, quàm illi accidebant. Illud erat iam inter domeſticos eius vſitatiſſimum, ſi quæ illi triſtitiæ nubes faciem obſcuraſſet, vt dicerent, triſte quidpiam Societati obtigiſſe; & econtrà dum hilariores oculos, frontem magis apertam, vultúmque ſereniorem conſpicerent, res noſtras meliori loco eſſe non dubitarent augurari. Cùm ſolita frequentiorum concionum in Eccleſiis tempora aduenisſent, ſciſcitaba-

tur impensè, quo fructu, quo concursu, quo audientium fauore concionatores nostri audirentur, nec quidquam illi narrari gratius poterat quàm sententia breuis ac sapiens, exemplum illustre, adhortatio grauis & permouens ab aliquo nostrûm inter concionem pronunciata. Audiit aliquando quendam vnum è nostris eloquio disertum, fama florentem, pietate insignem in ipso ætatis flore felicíque concionum decursu intempestiua, vt videbatur, morte subductum, & ad vnum è suis, Quanto, inquit, me putas opere conuulneratum hac calamitate? Quàm vellem de plurimis meis (addebat & inutilibus) annis multos huic homini Deus addidisset! Sed succumbendum est arcanis eius iudiciis, cui non mors minus, quàm vita nostra seruit. Nouitios nostros visebat aliquando, beatos prædicabat, ad victoriam sui animabat, cunctísque perseuerantiam ex animi sententia precabatur. Venit aliquando ad eum è nostris vnus quasi consolatione aliqua leuaturus mœrorem quem ex familiari calamitate, quæ tunc obtigerat, haustum ab illo suspicabatur, ac dum incipit calamitatem, & infor-

tunium nominare, ille qui auditu erat hebetiore ob ſenium, putauit queri eum de aliquo Societatis noſtræ infortunio aut certamine quod frequens eſſe non ignorabat. Sed admonitus querelam eſſe de familiæ ipſius calamitate aliqua, ſuauiter riſit, negauítque ſe hiſce in rebus conſolatione indigere, cùm longa ætas docuiſſet familiarum ſemper aliquas vices eſſe, & quæ interdum eſſe calamitoſiſſimæ viderentur, in magnam, ſaltem alterius vitæ, cedere proſperitatem. At calamitates Societatis, quia ſine Eccleſiæ detrimento eſſe non poſſint veras eſſe calamitates nûlla proſperitate compenſandas. Ita plus illi noſtra dolebant quàm ſua. Collegij Claromontani cùm ætas paſſa eſt frequens honeſtauit ſolemnes exercitationes præſentia ſua. Sed vbi vires ætas debilitauit, & cùm morbis corpus luctari cœpit, mittere nonnullos è ſuis conſueuit, qui euentum, de quo Deo gratulari poſſet, illi recitarent. Multum aberat ab illius moribus cui herbæ parietariæ nuncupationem dedit antiquitas, quòd parietes vulgò nomine ſuo inepta famæ cupiditate inſcribi pateretur. Non enim vn-

quam ſuum nomen aut familiaria inſignia iuſſit vlli operi quod ipſe perfeciſſet inſcribi, nec eſt facilè paſſus ab aliis inſcripta permanere; fronti tamen noui ædificij Collegij Claromontani, quin à noſtris eius apponerentur inſignia, in beneficentiæ ſingularis monimentum, non interceſſit, ratus quod erat, id abs ſe ſine magno animi noſtri dolore impetrari non poſſe, ac noſtro dolore ſuauem ſibi gloriæ fugam non ſuſtinens comparare. Ceterùm poſteaquam illi Præpoſitus noſter Mutius Vitelleſcus ea obtulerat, quæ in literis iam recitatis inſunt, viſũm Pariſienſibus noſtris moderatoribus, vt duo Patres, qui ipſi aderant gratiam ab eo poſtularent, vti cor ſuum poſt ſera, quod optabant, ſed aliquando futura fata, in Oratorio Collegij condi pateretur. Audita ille poſtulatione negauit hanc ſuam eſſe gratiam, ſed noſtram. Nam in corde ſuo nihil, in precibus, cum quibus nos illud eſſemus elaturi atque compoſituri, plurimum ſe opis collocare. Annuit itaque non illibenter. Cúmque alia die quiſpiam coram illo ratiocinaretur æquum videri, vt qui cor principem affectus

ſedem nobis conceſſiſſet, totum corpus quaſi eius acceſſionem adiungeret. Hæſit Cardinalis tantiſper tacitus. Et mox. Velim, inquit, quod vultis, ſed quis ſpondeat nullum fore, qui aliquam animi mei offenſionem erga alumnos hoſce meos Sancti Auguſtini Canonicos, quorum ego virtutem atque in me amorem ſingulariter cōplector, in hoc facto non interpretetur? Demiratus qui id propoſuerat, viri prudentiam, atque integritatem, verbum non addidit, maximè cùm ille pergeret dicere, aliquid hîc nobis perire molis, ſed affectus nihil. Nullum finem ſcribendi faciam, ſi omnia id genus perſequar. Illud non licet præterire, intimo illum affectionis ſinu complexum eſſe illos è noſtris, qui ad Barbararum gentium ſalutem procul nauigabant. Euntes enim liberali viatico ferè eſt proſequutus, redeuntes audiit libentiſſimè de fidei illis locis progreſſibus, libróſque ea de re conſcriptos legit auidiſſimè. Adfui ego illi aliquando cùm vnum è noſtris in Canadenſes mox nauigaturum ad cubiculi portam de more deduceret, atque illo emiſſo iuuenem Eccleſiaſticum admitteret, ad quem

conuersus vbi assederat ita est loquutus: Beatum ego arbitror hunc Patrem qui honestissima natus familia, atque inter vitæ commoda enutritus hominum siluicolarum gratia, quorum tamen pretium sanguis Christi est, vinum aqua, cibos olim consuetos frumento Indico, stratum duro solo, securitatem iactatione maris, & sexcenta alia tam facilè commutet: Magnum illi inesse Dei amorem oportet, qui ista suadeat. Respondit ille Ecclesiasticus. Beatus sanè foret si id sponte faceret & non voto; nunc autem eum voti religio illò adigit. Falleris, inquit Cardinalis, nam nisi Pontificis iussus aut voluntas accesserit nullo ad id voto obstringitur. Sed fac voto teneri, num tibi idcirco videtur infelicior? Sanè, inquit ille; quia obligatior. At Cardinalis. Scis inquit nos in hac vita tanquam naues in mari agitari. Quæ tibi ergo videtur conditio melior, eius nauis quæ fune ad litus, aut anchora ad fundum maris obligetur, an eius quæ ventorum scopulorúmque ludibrio sine vinculo sit permissa. Finis disputationis fuit viri iuuenis pudor & silentium.

Capvt VI.

De votis eius atque in primis Caſtitatis.

SANE' votorum tantum apud illum pretium fuit, vt cùm ſpe concepta Religioſæ vitæ apud Pontificem, vt diximus, excidiſſet, tamen ſine votis, vt vocant, ſimplicibus, ac non Religioſis viuere deinceps noluerit. Ita negotio diligentiſſimè perpenſo, àtque animo per ſacramenta & prèces comparato vota Caſtitatis, Paupertatis & Obedientiæ ritè nuncupauit hoc tempore, atque omnes vitæ ſuę rationes ab iis Patribus quos in conſilio habebat, pendere deinceps voluit. Enimuerò tantum fuerat tota vita ſtudium corporis atque animi ab omni macula prohibendi, vt non difficile illi fuerit Caſtitatis, à qua nunc ordiar, fidem Deo in hac ætate ingraueſcente præſtare. Domus certè eius ſepta omnia, vt primæ ſe intendere cœperant tenebræ omni mulierum generi erant intercluſa, ac niſi grauium Matronarum, vel pietatis, vèl cognationis cau-

ſa adeuntium incideret viſitatio, anus tantùm illic vna mane occurrebat, quæ vbi munditias in aula, ac locis patentibus fecerat, nuſquam domi hærebat. Domeſticos qui vxorati non eſſent domo abnoctare nunquam ſciens tolerauit. Sermonum erat coram eo tanta caſtigatio, vt nemo verbulũ auderet effari quod vel longiſſimè oleret laſciuiam, nec tam iſtud interdicta eius, aut reprehenſiones, quàm ingenita mentibus omnium præſentiæ illius reuerentia, & ſermonis, animíque ab omni ſorde procul abhorrentis exempla extorquebant. Etenim hoc iampridem illi in more erat vt cùm librorum prohibitorum genus omne legere, & legendum aliis permittere ex ſacræ inquiſitionis, cui Romæ præfuerat, conceſſu poſſet, tamen eos, qui inceſtis verbis, flagitiosíſque narrationibus contexti eſſent, nec attingeret vnquam, nec momento temporis in Bibliotheca ſua reſidere pateretur. Audi aliud, quod impensè mirari poſſis. Prouecta iam admodum ætate, cùm characterum minutiæ oculos diuturna lippitudine, ac dolore debilitatos libris incumbere non ſinerent, potiſſimæ illi per
diem

diem occupationes, ac ſuauiſſimæ, vt ſupradixi, voluptates erant imagines Chriſti, Beatæ Mariæ, Sanctorum, atque hiſtoriarum ſacrarum quas excellentis habebat artificij, in manus ſumere, & ex illis deuotiſſima oculorũ mentíſque contemplatione guſtũ in ſe pietatis excitare. Sed nõ raro, vt eſt pictorum ſuperuacua, aut potiùs noxia induſtria, in eas incidebat imagines quæ collo, brachiis, aliáve parte nimiam oculis nuditatem obiicerent. Habebat illico pictorem ad manum, qui appicto velo aut veſte producta quidquid videbatur indecorum obtegeret. Cúmque adeuntium aliqui apud eum quererentur perdi hac ſcrupuloſitate inſignium tabularum pretia. Pereant, inquit, tabulis pretia, ne pereant animæ, deſinántque ab hominibus illæ æſtimari, ne nos Deo vileſcamus. Tantam ille cautionem cùm eſſe vellet ne res ſenſu, motúque carentes oculis hauſtæ menti officerent, multo profecto ſatagebat diligentiùs, ne à viuentibus, quæ infinitas habent ab ſenſu & motu illecebras læderetur: itaque honorarios ephebos, pediſſequos, & iuniores miniſtros tanta ad ſe modeſtia adire volebat

vt nihil eſſet in veſte curioſum, nihil in capillo comptum, nihil in lingua blandiens, nihil in vultu lenocinans, manus quin etiam decuſſatis ante pectus brachiis, ne appareret vel tantilla pars nuda, ſub axillas conderentur. Ipſas præterea animantes cicures, quia domo omnes non poterat, cubiculo tamen ſuo, ne impetu naturæ inuerecundi quidpiam oculis obtruderent, depellebat. Canes, feles atque eiuſmodi multorum delicias penitus ea ex cauſa auerſabatur. Auiculæ tantùm innocentes & canoræ in eius cubiculo aliquandiu viſæ, ſed dederat iſtud vnius è domeſticis affectui, qui gratum ſe illi facere eis auibus educandis, atque in eius cubiculum inferendis cenſuerat. Noluit enim bono eius animo abruptè obniti. Quærebat tamen interim aliquoties, an non ſatius eſſet in pauperes impendi quæ alendis hiſce auibus neceſſaria eſſent. Cúmque audiſſet ab vno è patribus conditioni eius & dignitati iſta non aduerſari, nec cauſam eſſe cur de pauperibus prior illi cura eſſet quàm de ſuo ſtatu. Repoſuit, Cur ergo vos quoque iſta non educatis? Nos, inquit ille blandimenta iſta ſenſuum

quærere, multo minus hoc ſumptu tolerare, ſtatus noſter non patitur. Subiecit Cardinalis. Ita planè eſt vt dicis, nihil ſunt hæc aliud niſi ſenſuum blandimenta, breuíque poſthæc amoueri iuſſit omnia. Solemne enim illi iampridem erat ſenſibus nihil indulgere, exulabant itaque ab omni eius veſte, ac ſupellectile iampridem ſuaues omnes odores, cauſante quidem illo eos cerebro ſuo officere; ſed videlicet plus animo cauente quàm cerebro. Neceſſitati ex medicorum præſcripto exactè ſeruiebat in cibo, ſed non voluptati. Nemo enim vnquam illum audiuit de ciborum guſtu, condimentis, deliciis, vt ſolet in optimatum domibus, ſermonem conſerentem, nemo vidit prolixè tolerantem. Vidi ego ſemel cùm ſuauiſſimus illi cibus, neſcio vnde, allatus eſſet compreſſiſſe validiſſimè appetentiam, ác dum quæri iubet medicum, vt ſciret an ſanitati conduceret, perdidiſſe etiam ſponte ſuauitatem, atque intactum remiſiſſe. Potus illi fuit crebrò aqua decocta tantùm, crebrò guttulis tantùm paucis vini colorata. Muſicam dum Regiæ Capellæ præfuit in Oratoriis & templis diligenter inſtru-

xit, & libenter audiit, ſed nullum vnquam ſibi priuatim adeſſe voluit muſicum, multo minus pueros ſuauibus modulis aures poſt cibum, vt multis mos erat, demulcentes. Viſu adeò fuit emendato ſiue aſpiceret viros, ſiue fœminas, vt illud Auguſtini liceret in eo perſpicuè aduertere; Oculi etſi iaciantur in aliquem, figantur in neminem. Denique ſpirabant ſenſus eius omnes ſanctitatem, nec facilè contigit, vt alicui quamlibet leui & moribus incompoſito occurreret, quin ipſo modeſtiæ ſuæ, grauitatíſque conſpectu moderationem illi ac circunſpectionem indiceret. Sacerdotes Catholicos Caluiniani omnes naſo ſuſpendunt, & deſpiciunt, ſed cùm magnates illorum, Miniſtri, plebei, Cardinalis cõſpectui interuenerãt, ceſſabat omne ludibrium, & quaſi non eſſet vnus ex reliquis, illius ſibi venerationem extorqueri fatebantur. Illud verò in tanta ſenſuum omnium cuſtodia fuit illi palmare quod nullam inde contraheret, in conſuetudine cum aliis, moroſitatem: erant enim illi in numerato hiſtoriolæ quædam argutæ & hilares abſque omnis hominis iniuria & animæ no-

xa, quibus adeuntes ad se mirificè solebat ac frequenter delectare.

Capvt VII.

De Paupertatis amore.

NON amare diuitias eum qui in eis natus sit, & adoleuerit, non mediocre habet, at non insolitum virtutis decus; sed ita eas spernere, vt in eos qui indigent, vtiliter velis impendere, & temperãtiæ est & prudentiæ supremę, vt scribit Philo libro de vita contemplatiua. Hæc si de aliquo verè, de Cardinali nostro verissimè possunt enũciari. Diuitias, vt qui maximè spreuerat, sed eas in egenorum vsus transtulerat vt qui vtilissimè. De hac trãslatione scribemus postea, sed de contemptu atque abdicatione earum nunc instat vt agamus. Omninò diuitias nemo magni facit qui non congerat, nemo contemnit, qui non libenter dispenset. Fuit istud in Cardinali illustre, vt priùs semper de dispensando quàm de congerendo cogitaret. Nam à prima, vt suprà dixi, adolescentia præter quadringentos aureos vitæ sustentandæ ne-

cessarios, cæteros Trenorchiensis Monasterij sanè opulentos prouentus, priùs semper dispensationi in pauperes addicebat, quàm possideret. Quod certè nihil aliud erat quàm nunquam possidere, & pauperem inter diuitias agere. Creuit ætas, & cum ea creuerunt opes Ecclesiasticæ, & dignitates, sed multo magis creuit paupertas. Non enim vt priùs ab anni principio victui prouidit suo in annum. Sed quotidianum, vt sic dicam, demensum suum cum pauperibus est in diem partitus, ac si quid exacto anno sibi videbat superesse, id illico velut residuum apud se pauperum censum in illos refundebat. Hanc sibi legem ille indixit diutissimè, dum pax & quies Regno fuit. Sed posteaquam bellorum calamitas incertos cuique agrorum suorum prouentus fecit, non animum mutauit, sed prouidentiæ modum. Seruauit enim pecuniæ aliquid in annos sequentes, quod in hospitalia, & pauperes, si mors eum interciperet, planè iuberet impendi. Cæterùm nunquam ille in Ecclesiasticis reditibus quidquam existimauit suum, Procuratoris tantùm in illis, aut dispensatoris munus sibi cõcre-

ditum esse semper est interpretatus. Nec tamen ignorabat aliter iis visum qui Clericos eorum Dominos esse contenderent, sed absque illius sententiæ præiudicio, prius illud paupertatis amans sibi persuasum malebat. Agebat ergo in Ecclesiæ prouentibus vt pauperum consors, ac indiuisæ rei atque communis administrator. Hinc illi duplex insederat solicitudo. Altera vt quàm parcissimè illis vteretur, altera vt nihil pauperibus negligentia sua perire pateretur. Quibus in duobus altissimus erat paupertatis affectus. Principio verò vix satis exponi potest quàm vili comparari vellet quæ in suos vsus vertebat omnia. Nemo illum vnquam etiam postquam Episcopus & Cardinalis fuit holoserica veste, nemo pretiosiori panno indutum vidit. Vestis illi cubicularis de vulgari, vt vocant, Cameloto fuit, quam semel tantùm intra annos tres & viginti mutatam vidi, cùm prior adeo esset detrita, vt colorem mutasse & alicubi crasso filo consarcinata videretur. Tunicam coccineam pro dignitate Cardinalis eo interuallo, ac puto etiam longè maiori vnicam gestauit, quam vbi induerat ad ex-

cipiendos, qui inuiſebant Cardinales, aut Nuncios, mox arcæ reddebat. Thorax ac reliqua veſtis eiuſmodi fuit vt nullus eſſet tam pauper Religioſus cum quo ille hac in re certare non poſſet paupertate. Lectiſternia etſi colore coccinea erant & munditie nitida (munditiæ enim & ordinis ac compoſitionis rerum ſuarum, præcipua illi cura tota vita fuit) tamē veſtis tota erat pretij vulgaris, non plumata, nō polymita, ſed homini è vulgo conſentanea. Denique lectus atque ornamenta eius omnia poſt mortem ipſius viginti tantùm aureis venierunt. Peripetaſmata circum parietes vetuſta, fumoſa, & mille modis reſarcita. Inſtrumentum reliquum ac ſupellex ad frugalitatem in primis & ſolam neceſſitatem facta. Vnum erat in quo ille ſibi videbatur ſplendori nonnihil & ornatui indulſiſſe, Thecæ Reliquiarum & cultus altarium, ac templorum. Repoſuerat enim huius generis plura, quæ non ſatis poſtquam abierat aula, ſibi cenſeret neceſſaria. Sed vide quàm ſit virtus ingenioſa, nihil ferè iſtorum erat, quod ille conſulto iuſſiſſet confici, aut cupidè comparari. Nam cùm fama vulgò eſſet

delectari eum magnopere elegantibus opificiis, quæ ad pietatem pertinerent, vt quiſque opifex rei familiaris anguſtias patiebatur, noui quidpiam opificij architectabatur, quod Cardinali placere poſſet, in quo ſeu felix eſſet euentus, ſeu infelix, tamen ad eum opus ſuum deferebat vendendum. Et gratulabatur ſcilicet Cardinalis anſam ſibi oblatam hominis miſeriæ ſubleuandæ, atque emptionis ſpecie contegendi charitatem. Non enim parum caro hæc ſolebat coemere. Verùm poſteaquam paupertatis ſe voto Deo obſtrinxit ne iſta poſſidere, eſſet theſauros condere; nudauit ſe illico omnibus, eiſque locis ea attribuit, vbi diuino cultui excitando in hominum animis publicè ſubſeruire poſſent. Nec deſtitit aliquot annis laborare ne quid domi haberet quo poſſet ſine noxa carere, ac ſi quid huiuſcemodi erat, quod ſacrorum honoribus non conferret, diſtractum commodiſſimè, in pauperes effundebat. Duplex verò illi fortunarum genus cùm fuiſſet in vita, alterum à ſæculo, id eſt ab hæreditate parentum, vel ab ſtipendiis Regiis, quæ officia aulæ gerens merebat; alterum ab Eccleſiæ

beneficiis non putauit se bona fide pauperem si ea quæ habebat à sæculo retineret: itaque sanus etiamnum & vigens omnia in propinquos distribuit, ea verò quæ ab Ecclesia erant pauperibus destinauit post fata.

Capvt VIII.

Quo studio demissionis animi in obsequendo aliis duceretur.

NIHIL in illo fuit tota vita demissione animi eminentius. Nullus eum audiit vnquam de se ac rebus suis loquentem magnificè, nullus se alij mortalium vlli præponentem: si quid dictante veritate de actionibus suis dixerat cum quadam laudis vmbra, aderat illico in foribus castigatio, qua vel sua omnia deiiceret, vel ad Deum auctorem referret. Ab alio nunquam audiit patienter laudes suas, cúmque vt solet hominibus ea in dignitate positis, plures illi dedicarentur libri non sine virtutum eius, ac decorum prædicatione, eleuabat legendo omnia, parúmque se scriptori illi notum verecundè affirmabat. Cùm quid

operis faciendum locarat, non ferebat facilè, vt ſuprà dixi, ſi quis artifex inſignia eius familiaria aut nomen appinxiſſet. Adeóque illa deleri omnia viuens ſategit, vt cùm in ſepulcro (quod ſibi nihilo eminentius planè Cryptæ Sanctæ Genouefæ pararat) inſcripſiſſet artifex hæc verba, Franciſcus Cardinalis de la Rochefoucauld, amoueri lapidem ſtatim iuſſerit, & alium ſine nomine aliáve inſcriptione ſubſtitui. Omnino verò quidquid operùm ipſe inſtituit omni laudis & memoriæ ſui nota carere voluit, nec ſcio an præter frontem Collegij vt dixi Claromontani inſignia ſua vllo loco adhærere ſciens ſuſtinuerit. Verùm nulla, vt arbitror, in re illuſtriùs modeſta illa immo abiecta, quam de ſeipſo conceperat, opinio emicuit, quàm in conſultando de priuatis actionibus ſuis, ſiue illæ pertinerent ad rem familiarem, ſiue ad corpus, ſiue ad animam. Etſi enim adeò acris fuit iudicij, vſque ad extremam diem, vt integræ ætatis hominibus ſeniles eius cogitationes, ac prouidentiæ admirationi eſſent, cùm eas penetrarant profundiùs, tamen ita ab aliorum conſiliis pendere perpetuò vo-

luit, vt nihil planè sibi tributum cuperet. Itaque si quid erat in re familiari quod iure ciuili niteretur nunquam absque iurisperito, si quid ad conscientiam pertinens, nunquam sine peritis casuum conscientiæ constituit. Quod ipsi responderant ratum illi erat, nec quidquam contrà moueri permittebat. At de corporis sui statu pro oraculo habebat quidquid medicus sanxerat, nec ab eius præscripto abiisse vel digitum vnquam est animaduersus. Neque verò ille id sanitati magis, quàm virtuti, & conscientię tribuebat, ratus diuinam circa nos prouidentiam salutem corporum huic obedientiæ alligasse. Itaque nec in cibo, nec in somno, nec in labore, nec in quiete aliud sibi persuaderi sinebat, quàm quod medicus statuisset. Sed in iis quæ animam attingebant, quod nihil haberet in vtraque vita, præsenti, ac futura potiùs, singulare, ac propè incredibile est, quantum in obsequendo aliorum consiliis sibi vitæ degendæ momentum constitutum esse semper censuerit. Itaque annis ante mortem plusquam viginti tribus actiones suas à prima adolescentia vocare ad examen cœpit, om-

nes earum ſinus, ac receſſus excutere, duobúſque arbitris è Societate IESV ita illas exponere, vt ab illorum ſenſu totum ſe eſſe vellet ſuſpenſum, ſiue quid reparandum aut reſtituendum, ſiue animus poſtea in tranquillitatem conferendus. Ac memini cùm illi crebriùs reſpondiſſent perpenſis diligentiſſimè illius actionibus, nihil ſubeſſe vnde eſſet timendum, nihil vnde ampliùs cogitandum aut quærendum, illum collecto intra ſe animo dicere ſolitum. Credo equidem vobis planiſſimè, veſtríſque rationibus victus aſſentior, ſed quia obedientiam Deo meo deuoui, ne patiamini illius me voti, ac virtutis merito carere, & præmio. Præcipite igitur mihi obnixè ne has vnquam actiones volens ac ſciens recogitem, aut retractem. Recuſantes, ac ſcilicet veneratione eius perculſos tandiu premebat, ac precibus demiſſis pulſabat, vt pudore fracti verba quædam eius deſiderio conſentanea reponere tandem cogerentur. Pax illi ſubinde erat, & quies neganti vllum ſibi ſcutum fortius aut magis in promptu eſſe contra cogitationum repungentium acumina, quàm obedientiæ memoriam.

At in actionibus quas deinde suscepit tantùm ei studium consilij capiendi, atque audiendi fuit, vt nihil propè à se statutum vellet, sed ex consulentium ore totus penderet.

CAPVT IX.

Ægris insanabilibus Hospitalem domum fundat.

RELATA est anno primum
1637. CIƆIƆCXXXVII in operum publicorum numerum domus Hospitalis Insanabilium edicto Regis Ludouici XIII, non absque conditorum laude, multísque, ac magnis priuilegiis. Eius conditum & progressum, quia inter prima Cardinalis nostri decora censeri potest, ab ipsa origine prima iuuat accersere. Vixit ad annum CIƆIƆCXXVI vir spectatæ virtutis Petrus Castilloneus Iolet, cui cum Cardinali de la Rochefoucauld familiaris, atque iucunda intercedebat consuetudo. Is cùm amplissimis esset partim ab Ecclesiasticis beneficiis, partim à maiorum hæreditate fortunis, quærebat à Cardinale aliquando

quam in rem cenſeret poſſe commodiſſimè, atque ad æternitatem vtiliſſimè temporarias iſtas hominum facultates impendi. Cardinalis vt erat in pauperes procliuis rem eſſe dixit à Chriſto præiudicatam. Facite eleemoſynam & omnia munda ſunt vobis. Facite vobis amicos de Mammona & id genus ſexcenta. Addebat id Eccleſiaſticis viris, qui beneficia, id eſt patrimonia pauperum, poſſiderent, eſſe cum primis enitendum. Atqui, inquit ille, rem dicis à plurimis occupatam, atque ex vſu, vt videtur, nimium frequenti propè in abuſum detortam, non magno pauperum ſolatio. Pergentem plura eo adiicere, excepit Cardinalis. At ego te docere poſſum, ſi volueris, rem planè hiſce in locis nouam, & quæ maiorum noſtrorum charitatem, ac prouiſionem videatur effugiſſe. Habeo ego ad manum quotidie ex Magni Eleemoſynarij munere ſtatuta Xenodochiorum Regni, demirórque magnopere in omnibus propè eſſe ſancitum, vt pauperes qui ſanari poſſunt, ſolatia in eis habeant, donec vel ſanentur, vel vita abeant. At iis qui nec vita diutiſſimè abire, nec ſanitati reddi poſſunt, nulla

ſubuenitur prouidentia. Ita ſolatium habet leuis febricula, & morbus ſonticus, ac perpetuus eſt ſine ſolatio. Tam abſurdę incuriæ remedium eſſe nullum, vt opinor, poteſt niſi Xenodochium inſanabilium, cui tu inſtituendo, vt potes, ſi mentem manúmque adhibueris, ego ſubſidio veniam. Hæſit in Ioleti animo hæc oratio, & quaſi mortem præſagiret, qua functus eſt die poſtrema Septembris anno CIↃIↃCXXVII, teſtamentum breui poſthæc condidit quo vbi ſuorum quædam certis hominibus legaſſet, cætera condendo Noſodochio Inſanabilium attribuit. Sed legatis exſolutis, cùm neſcio vnde emerſiſſent alij, qui in teſtamento ſe inofficiosè præteritos, cùm hæredes eſſent demortui, quererentur, alij, qui ſe creditores non leuis ſummæ contenderent, tranſactum cum illis eſt ex Senatus conſulto millibus librarum æris grauis ſeptuaginta quinque, Ita hæreditatis ſumma ad duo millia librarum annua recidit, quæ tanto operi vel inchoando, eſſe ſatis non potuit. Id quod Cardinali Rupifucaldio primo eius conſilij auctori cùm fuiſſet renuntiatum, accerſitis ad ſe Maioris

Xe-

Xenodochij Parisiensis Præsidibus stipulari instituit, si operi manum admouerent, se annua librarum millia tria in pauperum sustentationem, & non leuem aliam pecuniæ summam in ædificium collaturum. His pactis conuentis iacta sunt Nosodochij fundamenta ad annum Christi CIƆIƆCXXXIV, atque intra bienniũ sexdecim agri modi muro conclusi, & ædificij pars quarta ad fastigium educta fuit. Anno verò CIƆIƆCXXXVII contulit eò Cardinalis lectos triginta sex, reliquúmque domus instrumentum, ac supellectilem, atque insanabilibus viris ac mulieribus totidem Nosodochium esse tum primùm cœpit. Impendit tunc ac deinceps in ædificia & supellectilem Cardinalis librarum circiter millia septuaginta sex. Hinc aulæ quatuor exædificatæ centum quinquaginta pedes in longum occupantes, paratúsque locus aliis duodecim eiusdem longitudinis. Domus præterea structæ fœminis valẽtibus decem, quæ ægrotis ministrarent, & ex aduersa ædium facie viris item valentibus sex, qui viros ægrotos curarent, sacerdotibus præterea duobus, qui saluti animorum incumberent,

vníque è Præſidibus Maioris Pariſiorum Xenodochij qui cunctis præeſſet. Dehinc exædificata eſt Eccleſia neque parua, neque inelegans, cuius in tholo cùm gratitudinis ſignificandæ auidi præſides inſignia Cardinalis familiaria plaſtico opere adieciſſent, ægrè ſibi factum hac in re denunciauit, ac ne fuga gloriæ gloriam quæreret, rationem obtendit ingenioſam. Ego, inquit, non ignoro, quàm multis ſumptibus opus ſit, vt huic domui extrema imponatur manus, quibus ſat ſcio parem me eſſe non poſſe, cur ergo meis honoribus aliorum patiar charitatem, operíſque huius abſolutionem præpediri? Rarus enim eſt qui ſuo ſumptu alienos velit amplificare honores. Relinquamus proinde vacuum aliis locum, vt dum meritis donantur honoribus ad eos, qui neceſſarij ſunt deinceps ſumptus, faciliùs prouocentur. Quamobrem non ceſſauit Præſidem Noſodochij vrgere, donec ſua videret deraſa inſignia. Adfui ego aliquando cùm libellum ei ſupplicem quiſpiam obtulit, quo orabat vt in Noſocomium ſuum iuberet admitti inſanabilem quendam affinem ſuum. Cui Cardinalis; Te

inquit, affinis tui calamitas excuſat, quòd in nomine meo fallaris. Ego Noſocomium nullum habeo, ſed hoc tantùm poſſum, quod lubens faciam, vt tuis precibus meas apud Noſocomij præſidem adiungam, fecítque illico non ſine euentu.

Capvt X.

Immenſæ illius Eleemoſynæ.

Dixit aliquando ſententiam in Conſiſtorio Pontificio Cardinalis Surdiſius typis poſtea excuſam, in qua hæc legere licet. Franciſcus Cardinalis Rupifucaldius noſtri temporis Ioannes Eleemoſynarius, cui laudatiſſimi viri elogio, quid poſſim addere ad Rupifucaldij commendationem non video, niſi illud Ambroſij: Prolixa laudatio eſt quæ non quæritur ſed tenetur. Res enim ipſa liquidò demonſtrat nihil ſimilius in vita fuiſſe quàm Rupifucaldium noſtrum cum Ioanne illo Alexandrino. Niſi ſi cui fortè hoc videatur diſcriminis interponendum, quòd à Ioanne illo ingentes eleemoſynæ crebrò de alieno,

à Rupifucaldio autem de suo ferè promerentur. Ex multis enim Eleemosynarum generibus quæ Rupifucaldius vsurpauit, id vnum tantùm quod initio referam aliquid habuit de alieno. Primò enim, vt mensuram nominis quod gerebat Magni Eleemosynarij impleret, annis tredecim menstruas, vt mos est, à Rege habuit libras æris quadringentas, quas ille non solùm fide integra solertíque prudentia in pauperes, qui maximè indigerent, dispensauit, sed etiam de suo, duplo plerumque adauxit. Secundò quòd multæ Parisiis atque alibi essent Religiosorum hominum familiæ mendicitatem professæ, multi viri, ac fœminæ, quos pristinæ dignitatis aut fortunæ verecundia plus ipsa egestate premebat, atque à publico mendicitatis remedio arcebat. Multi familiaribus propinquorum eius obsequiis non satis fortunatè functi, multi aliis ex causis ipsi peculiariter noti, ac paupertate conflictati. Horum omnium gratia statas sibi largitiones ac donatiua indixit, quæ alij in annum, alij in mensem, alij in hebdomadem acciperent, nec rarum fuit vt hæ eleemosynæ ad decem aut quinde-

cim millium librarum summam anno vno proficiſcerentur. Tertiò quòd plerique alij patria procul poſiti, & viatico deſtituti nec ad ſuos remeare, nec Pariſiis penuria preſſi permanere poſſent, alij morbo, vulnere, latrocinio, captiuitate, alióve infortunio excepti egerent, alij carcere eximi, vel litem pupilli, aut viduæ, aut à potentiore oppreſſi expedire inopia impediti non poſſent. In has ſimiléſque neceſſitates vitæ, quæ non continuè, ſed ſemel, ſi fortè, homines premerent, ſepoſitam habuit pecuniam ſemel etiam numerandam, cuius in anno ſumma inferior priore non fuit. Quartò cùm ad annũ vt arbitror CIↃIↃCXXIX fames in Italia & Gallia dominaretur, inſtituit Cardinalis, quod alij quidam, vt nulli in domo ſua negaretur panis poſtulanti. Quæ res tantam plebis eò vim acciuit, vt nulla eſſet domeſticis quies. Luctatum tamen eſt aliquandiu cum turbis quotidie augeſcentibus, ſed mox cùm magiſtratuum ſtudio leuata eſſet annona, ceſſantibus turbis, non ceſſauit Cardinalis beneficentia, ſed ex omni numero ſexaginta paupertimos elegit, quibus ſemel in hebdomade panis, qui

duodecim aſſium eſſet præberetur. Quæ liberalitas ad extremum vſque eius ſpiritum perſeuerauit cum reliquis, quæ penes eum ſolum erant. Quintò hæc inexhauſtæ vir beneficentiæ, cùm tam copiosè in egentium omne genus effunderet, non tamen ſibi faciebat ſatis, cùm illam ſuſceperat cogitationem primam ſibi ſemper debere eſſe curam eorum populorum, à quibus haberet vnde in alios benignus eſſe poſſet. Itaque ſtatuit aliquando ac porro obſeruauit donec ſuperſtes fuit, vt Claromõti, & Siluanecti, vbi Epiſcopus fuerat, Trenorchij & Reomai, vbi Abbas, homines haberet fidos & probos, qui plebis indigentiam ſuppeditatis abs ſe pecuniis ſubleuarẽt. Pariſiis id per ſe in Monaſterio S. Genouefæ, cui præerat ipſe prolixè præſtabat. Sextò remotis à prandio mẽſis confluebat ad portam domus illius mendicorũ omnis generis turba, cui eius iuſſu panis, iuſculum, legumina, & ſi quid eſſet ſuper reliquiarũ cibi diſtribuebatur. Septimò Pauperum Scholaſticorum cœtus coierat in Collegium Montis acuti haud procul ab ædibus Sanctæ Genouefæ, is quia largitate hominum ſuſ-

tentabatur, nonnulla quoque Cardinalis benefacta aliquandiu ſenſit: tricenis enim aut quadragenis id genus adoleſcentibus panis demenſum ter in hebdomada diſpenſari iuſſit. Quamquam aliquas etiam hac in re Canonicorum S. Auguſtini partes fuiſſe audio. Octauò cùm peſtis aut fames in ea incubuerat loca, vnde prouentus Eccleſiaſticos hauriebat, nulla illi cum locatoribus & partiariis ſuis pax erat, ſi non peterent ab ipſo populorum ſolatia & largiſſimas eleemoſynas. Nullis enim tunc parcebat prouentibus, vt plebs ſubleuaretur, cuius maximè cauſa, vt aiebat, ea pauperibus patrimonia à maioribus eſſent apud Eccleſiam depoſita.

CAPVT XI.

Commiſeratio alienorum malorum.

IVNGAMVS ſtilo, quæ iunguntur officio. Eſt enim Eleemoſynæ vel parens vel germana Commiſeratio. Quæ cùm Cardinali Rupifucaldio tota vita inhæſerit, tum labente hac eius ætate omnes illius ſenſus imbuit penitiſſimè.

Nunquam quidquam alicui domesticorum eius doluit, quin statim Chirurgum, aut medicum accerseret, de malo eius crebrò interrogaret, ab aliis domesticis visendum curaret, Oeconomo, coquo, aliisque ministris enixè imperaret, ne quid illi deesse paterentur. Quin & Siluanecti aliquando factum, vt cùm quis domesticorum cibi fastidio teneretur ipse ad eum Cardinalis venerit, quid sibi sapere posse censeret interrogarit, & cùm ille citria mala, quæ Siluanecti non erãt, nominasset, Parisios illico Cardinalis miserit ne famulo deesset quod gustaret. Vbi Monasterium Sanctæ Genouefæ inhabitauit in vetere statim ædificio Nosodochium innouata, vel restituta substructione molitus est, in quod famuli inferioris sortis translati, nullis neque commodis, neque obsequiis destituerentur, multi etiam famulatu olim functi, atque alibi agentes lubente optimo hero conueherentur illò. Qui enim semel eius in familiam erat coöptatus, is nisi sponte abscederet, nunquam abire iubebatur. Ita fiebat vt plerique malo interdum consilio abrepti, & nouas ipso decennio fortunas consectati, si fortè

ſpe exciderent, fidenter ad ipſum reuerti non vererentur, nec ſanè aliis reſpicerentur oculis, quàm ſi nunquam abſtitiſſent. Ita in familia eius ſenes plerique erant, non vt famularentur, ſed vt alerentur. Iuniores enim ferè eorum famulatui ſubſtituerat & paterna planè ſolicitudine ac prouidentia ſeniores omnes in præſens & in futurum ſi forent ſibi ſuperſtites proſequebatur. Hinc illæ eius voces aliquando auditæ. Quò iſti ſe vertent dum ego de mundo deceſſero, fodere non valebunt, mendicare erubeſcent, faciendum mihi eſt non ſolùm vt neceſſariis non careant, ſed etiam vt victum commodiorem quem apud me ceperunt, mutare in priſtinam parcitatem non cogantur. Et fecit ſanè quàm licuit optimè omnibus teſtamento proſpiciens. Neque verò ſiſtebat eius bonitas intra eos qui ipſi propriè in quouis aderant obſequio, ſed omnibus etiam eorum doloribus condoleſcebat, qui ad ſuos vel propinquitate, vel amore attinerent. Habuit aliquis patrem parum commodè vitam tranſigentem, condoluit Cardinalis patri propter filium, eúmque non leui ope dum vixit ſuble-

uauit. Plures alicui filiæ erant nubiles, & facultates non plures, tactus est eius miseria Cardinalis, & locandis illis in matrimonio non parum de suo contulit. Fratres fuere aliquibus parum benè à fortunis, vel opificio ad vitam sustentandam parati, alere eos instituit Cardinalis, ne inde fratribus, vel pudor, vel onus molestiam afferret. Denique vbi suorum filios, fratres, propinquos ritè perspexerat, atque idoneos ex virorum grauium testimonio agnouerat, hoc solatio suorum curas libenter leuabat, vt beneficia Ecclesiastica si quæ illius in prouisione essent, in filios fratres aut propinquos eorum potissimum conferret. Vnum illi è domesticis grassatores quandoque ad Monasterij portam ferro sustulerunt, quem ille casum sensit medullitus, tulitq; ægriùs quàm vllius propinqui mortem. Nimirum tanta illi erat de salute cum primis suorum solicitudo, vt nulla illum cogitatio conuulneraret vehementiùs quàm si in aliquod animæ periculum, vt in cædibus improuisis, vocatos videret. Igitur quamquam rarissimum in eius familia erat, vt apertæ simultates, ac iurgia inter domesticos

o orirentur , tamen vbi illæ emerſe-
ant, adeo periculis animæ illorum ti-
mebat, vt nihil verborum omitteret,
quod ad amicitias rurſum conglutinan-
das conduceret, nec quietem capiebat
vllam donec per ſacramentum cùm
Deo rediiſſent in gratiam. In quo ne-
qua intercederet negligentia de ac-
ceſſu ad ſacramentum pœnitentiæ, teſti-
monium ſibi dicere volebat ſacerdotem,
qui pœnitentes audierat. Reſarcita verò
amicitia ambos aduocabat, culpam exte-
nuabat, omnéſque fibras diſſidij mirabi-
li vtriuſque commiſeratione ſtirpitus re-
uellebat. Vidi ego quandoque cùm Pa-
riſios adductus eſſet in vinculis vir agri-
cola, quòd in Monaſterij Reomaenſis
agro, qui ad Cardinalem pertinebat,
auſus eſſet cuniculos venatu capere,
miſeratũ ex animo hominis ſortem, qui
à milliaribus Gallicis propè ſexaginta,
tam leui ex cauſa, tanta ignominia, &
tanto rerum ſuarum detrimento Pariſios
eſſet abreptus. Ac niſi interceſſiſſent ij
quos iuri illis locis dicendo præfecerat,
liberum illico ac largè donatum remi-
ſiſſet ad ſuos. Sed cùm illi obtenderent
ius illic venandi Eccleſiaſticum eſſe,

nec posse absque Ecclesiæ detrimento negligi, veritus ex aduerso ne iuri Ecclesiæ sibi commendato labem inferri pateretur, tertium quiddam ingeniosissima cõmiseratione plenum adinuenit, quod nec ius Ecclesiæ læderet, nec misero agricolæ noxæ esset. Passus enim est sententiam in illum ferri, mulctámque imponi, sed ipse iudicatum de suo soluit, agricolæ vicenos in dies asses, quantũ futurum ducebat eius operæ pretium, si abductus non fuisset, vxori eius quæ ad liberandum virum accurrerat, denos quotidie asses donec domum peruenissent & de suo penu iusta alimenta, quandiu Lutetiæ fuerunt attribuit, atque ad se accersitos seriò monuit ne leges deinceps, & iura Ecclesiæ auderent violare. Gratulatus est magnopere suam deinceps sibi captiuitatem Rusticus, abstinuítque iniuria, hoc vel maximè ne tam benigno Cardinali ægrè faceret. Addo aliud exemplum successu tristius, sed cõmiseratione illustrius. Secesserat rus Cardinalis anno quodam Lutetiæ pestilenti, oblitúsque in secessione quidpiam, quo indigeret, paucis pòst diebus cum carrucario rustico Lu-

tetiam rediit, vt eueheret quæ priùs omiſerat. Is carrucarius quo caſu, quáve imprudentia neſcio, peſtilentem ibi afflatũ alicunde hauſit, atque vt domum venit æger decubuit. Audiit hoc Cardinalis dum ad menſam ſederet, & infortunium ex animo miſeratus de iis, quæ ſibi appoſita erant, etiam volatilibus, ad illum per ſuos mittit aliqua, imperátque Chirurgo, vt eò pergat, ſanguinémque ſi opus fuerit vena educat. Mira res, ſuſtulit lues breui ruſticum & familiam totam, de domeſticis Cardinalis qui iuſſi ierant nullus eſt morbo tentatus. Clauedam hoc caput inſigni alio commiſerationis exemplo. Fuit aliquando cùm dilapſis ad quædam obſequia ſeruis maneret ſolus in ſede ſolita Cardinalis in cubiculo, & ecce preſbyter quidam pallens ac luridus, qui hanc iampridem captabat occaſionem irrepſit in cubiculum, & Cardinali ad genua accidens miſericordiam caritatémque eius vberrimo fletu implorauit, iuſſus apertè promere quid poſceret, exorſus eſt candidè confiteri vitam ſibi antehac fuiſſe omni incontinentia atque intemperantia perditam : hinc fœdum ſibi morbum

conflatum quo miserabiliter depasceretur, ac porro periturus esset omni destitutus remedio, nisi solita benignitate præberet illi Cardinalis vnde Chirurgo salutem etiamnum spondenti salarium solueret. Iussit eum ille reuerti postridie, & antequam sui rediissent emisit. Statuerat illico ei prolixè subuenire. Sed subita illum inuasit cogitatio, satisne esset diuino honori cõsentaneum, vt qui tot flagitiis sacrosancta altaria & sacrum ordinem conspurcasset, tam parata inueniret contra diuinam vindictam remedia. Quæstionem ergo, vt solebat, sine vllo personæ indicio proposuit scripto. Cúmque responsum esset quidpiam olim simile Macario Alexandrino occurrisse, atque illum presbytero qui recens à fornicatione sacra celebrasset mysteria, & sordido serpentéque vscere caput erodente à Deo multatus veniam posceret, atque ex animo resipisceret, non pecuniæ largitione, sed miraculi ab ipso vlciscente Deo impetratione remedium attulisse : atque omnino multo fœdiora esse, pro quibus Christus paratissimum sanguinis sui pretium esse omnibus voluisset: redeunti postero die ho-

mini tanta malorum animi, & corporis eius commiſeratione, tantáque benignitate eſt opitulatus, vt non corpori eius magis quàm animo ſalutem enixè accurarit.

CAPVT XII.

De ordine S. Trinitatis reſtituendo iuſſa accipit Pontificia & Regia.

LABENTE ad exitum anno quem dixi ſuprà CIↃIↃCXXXVII allata ſunt ei iuſſa Pontificia, vt Ordini S. Trinitatis ad captiuorum redemptionem olim inſtituto priſtinos mores longinquitate temporis, aut incuria hominum nonnihil labefactatos, reſtituere ſatageret. Fuerant ea iuſſa Romæ data biennio antè, ſed ſuborto inter eos qui diſciplinam primæuam in vſum reuocarant, & alios, apud Conſiſtorium Regium litigio, ducta res fuit ad hunc annũ quo Regiæ litteræ ad ſeptimam diem Septembris Cardinali deſtinatæ, vt negotium ſuſciperet genúſque omne præſidij ac ſubſidij à Rege expectaret. Iuſſa Pontificia, quia & Cardinali honorifica

& eiuſdem propè exempli fuere cum aliis quibus hactenus Ordinibus Religioſis reparandis allaborare ſolitus fuerat, huc transferre poſteritatis arbitror intereſſe. Sic autem habent.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecte fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Speculatores domus Iſrael, quæ eſt Eccleſia Dei viuentis mirabili eiuſdem prouidentia conſtituti admonemur, vt ad ea ſedulò intēdamus, per quæ diuinus cultus, & Eccleſiaſtica, Regularíſque diſciplina in Monaſteriis, & locis Regularibus quibuſlibet, conſeruentur maioráque in dies ſuſcipiant incrementa, & ſi in aliquibus exciderint, modis quantum fieri in Domino poteſt reſtituantur opportunis. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt Dilecti filij Procurator Generalis & alij fratres Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Congregationis Reformatorum Regni Frāciæ, quòd licèt tempore felicis recordationis Gregorij PP. XIII prædeceſſoris noſtri reformatio in dicto Ordine in Regno Franciæ inceperit, nihilominus ob diuerſa impedimenta per Generalem &

alios

alios Superiores dicti Ordinis eidem Reformationi præstita, nonnisi in duodecim dicti Ordinis Conuentibus eiusdem Regni extendi, & ampliari potuit: Quare Procurator Generalis & alij fratres dictæ Congregationis Reformatorum præfati nobis humiliter supplicari fecerunt, vt super præmissis modo & forma infrà dictis prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictorum Procuratoris Generalis & fratrum Reformatorum eiusmodi votis, quantum cum Domino possumus annuere, illósque specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes: & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, interdicti; aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, Tibi per præsentes iniun-

gimus, vt cum consilio & participatione Prælatorum & Religiosorum, quos ad id idoneos esse iudicaueris, omnia & singula dicti Ordinis Monasteria, domos, & alia loca regularia, quocunque nomine nuncupata, etiam exempta ac nobis & Apostolicæ sedi mediatè, vel immediatè subiecta, eorúmque Superiores quocunque nomine nuncupatos, & fratres, ac personas quascunque cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentes, tam in capite quàm in membris, auctoritate nostra per te vel alios à te subdelegandos visites, & reformes, ac in earundem personarum statum, vitam, mores, ritus, & disciplinam, tam coniunctim, quàm diuisim diligenter inquiras, necnon Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, sacrorúmque Canonum, & generalium Conciliorum decretis & sanctorum Patrum traditionibus atque Regularibus dicti Ordinis institutis Apostolica auctoitate confirmatis inhærendo, & prout occasio, rerúmque qualitas exegerit, quæcunque mutatione, correctione emendatione, renouatione, reuocatione ac etiam ex integro editione indigere

cognoueris corrigas, emendes, renoues, ac etiam de nouo condas, condita sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non repugnantia confirmes, abusus quoscunque tollas, Regulas, Constitutiones & Ecclesiasticam Regularémque disciplinam, ac in primis diuinum cultum, vbicunque exciderint iuxta primam eiusdem Ordinis Regulam dicta auctoritate Apostolica confirmatam, modis congruis restituas & reintegres. Si aliquos in aliquo delinquere repereris, eos iuxta Canonicas sanctiones punias, & castiges, ipsásque personas etiam, vt præfertur, exemptas ad debitum, & honestum vitæ modum, & ad statum sacris Canonibus & Concilio Tridentino præfatis conformem, reuoces. Ac quidquid circa morum correctionem statueris & ordinaueris absque dilatione, & appellatione, quæ executionem quoquomodo vllatenus impediat, aut suspendat, neque nisi ad effectum deuolutiuum duntaxat suffragetur, obseruari facias. Fratrum dicti Ordinis Congregationes erigas, & instituas, Monasteria à se inuicem independentia, quæ sine capite sunt, simili-

ter in Congregationem redigas, inobedientes, & contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas aliáque opportuna iuris & facti remedia, cogas & compellas. Nos enim tibi ad effectum præmissorum dicti Ordinis Religiosos de vno ad alterum locum transferendi, ac præmissa & quæcunque alia circa visitationem, reformationem, aliáque suprà expressa huiusmodi necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi & exequendi, citra tamen beneficiorum statûs mutationem, auctoritate prædicta tenore præsentium plenam, liberam & absolutam facultatem, & auctoritatem concedimus & impartimur. Si quæ autem grauiora in eiusmodi visitatione repereris, volumus vt ea sub tuo sigillo clausa ad nos quamprimum diligenter transmittas, vt id, quod in illis statuendum sit, matura consultatione adhibita decernamus. Mandantes propterea omnibus & singulis Generali & aliis Superioribus quocunque nomine nuncupatis aliísque personis præfatis sub excommunicationis ac priuationis suorum officiorum & aliis arbitrio

noſtro infligendis pœnis, vt tibi in præmiſſis omnibus & ſingulis promptè pareant, & obediant, tuáque ſalubria monita, & mandata ſuſcipiant, humiliter & efficaciter adimplere procurent; alioqui ſententiam ſiue pœnam quam ritè tuleris ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari. Non obſtantibus Apoſtolicis ac in vniuerſalibus, Prouincialibúſque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac Monaſteriorum, domorum & aliorum locorum Regularium prædictorum, & Ordinum quorum fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque indultis & literis Apoſtolicis &c. cæteríſque contrariis quibuſcunque. Præſentibus ad ſex annos à data præſentium computandos duntaxat valituris. Datum in Arce Gandulphi Albanenſis Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die XXV Octobris CIϽIϽCXXXV, Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

Sic ſignatum M. A. Maraldvs. A tergo, Dilecto filio noſtro Franciſco tituli S. Calixti, Preſbytero Cardinali de la Rochefoucauld nuncupato.

Locus † Annuli Piſcatoris.

Capvt XIII.

Labores eius in reſtituenda Diſciplina Ordinis S. Trinitatis.

Extremvs hic fuit Rupifucaldij Cardinalis in hoc genere labor. Orſus enim magno animo huius Ordinis reparationem ad anni ciɔiɔcxxxvii exitum, ac nonnullis, quæ interim iniectæ erant, moris perruptis, totum annum
1638. ciɔiɔcxxxviii eo tam aſſiduus, ac propè perpetuus incubuit, vt negotium planè ſpiſſum, ac difficultatibus obſeptum in magnam videretur contuliſſe facilitatem. Sed Romam poſtea illo non adeo repugnante, vt mox dicam, traductum, in labyrinthos incidit inextricabiles, vſque ad annum ciɔiɔcxlv, quo Cardinalem ad tot laborum coronas euocare, & conficiendi negotij gloriam æternæ prouidentiæ ſuæ reſeruare

Deo viſum eſt. Sed vt hæc ante oculos explicatiùs ponam totum ab initio negotium eſt retexendum. Vt primùm Pontificia mandata Regiæque litteræ quibus ea mandata vt in rē conferrentur, conceſſum eſt, ad eum peruenerunt, omnem videlicet machinam ſibi adhibendam cenſuerunt illi qui priſtinam diſciplinam refugiebant, nē in eius venirent manus, cuius & acerrimum eſſet iudicium in vera virtute à fucata diſcernenda, & infracta animi conſtantia in Dei honore promouendo. Itaque obrepunt clanculum ad Pariſienſem Senatum, & poteſtatis abuſum obtendentes à Pontificiis mandatis appellant, ipſúmque Cardinalem, ſi eis pareret, in ius vocant quaſi qui litem faceret ſuam. At Cardinalis qui iampridem Regi prædixerat non eſſe auctoritatis ipſius, aut ſuæ dignitatis, vt pro Reformatoris munere, quod illi Pontifex, ac Rex ipſe imponebant, litigatoris nomen, atque officium ſubire cogeretur, rogauit eum impensè, ne ſe his litium ambagibus, atque moleſtiis conteri pateretur; nec Rex litem protendi procul eſt paſſus, ſed decreto conſiſtorij ſanxit, vt omnis

hac de re quæstio extra consistoriũ suum interdicta esset, litémque eius rei causa Cardinali nemo inferret. Hanc vbi petitionem eluserat, hinc Generalem Ordinis ad se euocat, inde Præsides eius Congregationis, quæ primæuæ Regulæ obseruationem erat professa, verbísque honoris, atque amoris plenissimis adhortatur, vt enata inter ipsos dissidia sopiri paterentur, in Dei honorem, cui vtrique famularentur, eodem studio conspirarent, sibíque, vtpote rerũ suarum, quod non dubitabat, benè periti, in consilio adessent. In animo enim sibi esse florentissimum olim Ordinem ad pristinum decus reuocare; eíque vnicum, vt olim, caput vnámque disciplinam restituere. Rogauit itaque vt Congregationis ab Ordine separatæ interim obliuiscerentur, omnéque dissidij vestigium delerent, atque vnum in cœtum, quod vocant Capitulum, omnes simul Ministros Monasteriorum Minister Generalis, missis ad singulos Cardinalis ea de re litteris acciret, vt de omnium consilio fieret, quod in omnium esset vtilitatem susceptum. Vix ista enunciarat Cardinalis cùm incredibilis terror eorum animum

inuafit, qui primariam fectabantur difciplinam, quafi confilium illius effet Congregationem quam conflabant cum reliquo Ordine commifcere, fuos illi Præpofitos adimere, & quidquid eatenus pro illa erat laboratum perdere. Diftringuntur ergo ftili, eduntur contra id confilium libri, & quafi hoftis ad portam effet, tumultu omnia complentur. Sed cùm dilucidè docuiffet Cardinalis nihil in toto negotio poffe promoueri, quandiu illi in partes difcederent, & aduerfis inuicem ftudiis obniterentur, eapropter optaffe tantùm fe abfque vllius detrimento, vt vnum fe corpus effe cogitarent, paribúfque tantifper operis fibi collaborarent dum toti Ordini ex Pontificio mandato priftinum robur ac feruorem animi conaretur redintegrare, omnia in præfens tranquillauit. Scripfit interea Reformationis totius Ordinis leges aliquas, eáfque non longo pòft interuallo, dum quarta à Pafchate Dominica ageretur, Capitulo, quod iam conuenerat in Domo S. Trinitatis Parifiēfi, ab Epifcopo Apamienfi Henrico Spondano, quem fibi fubftituerat, voluit promulgari, ac decreto Confiftorij Regij

mox communiri, ne cui facilè fas esset refragari. Sed frustra fuit omnis hæc industria ac diligentia. Nam cùm inter leges illas vna & altera sancirēt Generali Ordinis attributum iri Assistentes, de quocunque placitũ Cardinali esset Ordine, & Religiosos Feulliantinos in Monasterium Parisiense, Societatis IESV in Monasteriũ Ceruifrigidi inducēdos, vt illa moribus informarent Religiosis. Quæ eo erant à Cardinali instituta, quòd in eiusdem Ordinis Religiosis quamlibet Reformationem professis, ob inueteratas animorum alienationes, non satis esse opis intelligeret, vt ab eis perfectè condiscerent mores Religiosos illi qui iampridem non satis eis videbantur assueuisse. Hanc isti occasionem, ac si fortè alias, nacti, à sententia Cardinalis ad Pontificem prouocant. Ac poterat Cardinalis auctoribus propè iis omnibus viris doctis, qui ea de re cõsulti fuerant, appellationi non deferre, quòd in Pontificio Mandato hæc verba legerentur. Quidquid circa morum correctionem statueris, & ordinaueris absque dilatione, & appellatione quæ executionem quoquomodo vllatenus impediat, aut

ſuſpendat, neque niſi ad effectum deuolutiuum duntaxat ſuffragetur; facias obſeruari. Sed hæc ille ſemel interpretatus de moribus cuiuſque priuatis non de communibus omnium, deferre appellationi voluit, ſic ſecum ratiocinatùs. Fieri non poſſe quin ſi in negotio pergeret ex hac verborum Pontificis ambiguitate, occaſio præberetur multis exiſtimandi eum Regiis litteris, quæ appellationem abruptè vetabant, tantùm nixum progredi vlteriùs. At vt in negotio planè Eccleſiaſtico hac tantùm auctoritate rem conficere, nec dignitati ſuæ, nec ſuperioris vitæ exemplis exiſtimabat conſentaneum, ita nec vlli id de ſe ſuſpicionis dare volebat. Hæſit ergo hiſce in ſcopulis tota illius Ordinis Reformatio, Cardinali non inuitè ſeniles humeros ſuos in Pontificis auctoritatem exonerante. Vnum illi vſque ad vitæ exitum non parum doluit, quòd captiuis, quos pauperũ pauperrimos appellabat, opem quam ſperarat non attuliſſet. Quæ cauſa illi fuit, vt tota deinceps vita Pontificem vrgere non deſierit per ſe, vel alios, vt extremam huic negotio manum imponeret. Sed Deo aliter ſtatuente vel bel-

la Italica, vel mors Pontificis, vel ipſius Cardinalis, quæ non longè abfuit, extrema dies, ſuſpenſa omnia atque integra poſteris reliquere.

CAPVT XIV.

Eccleſiaſticam dignitatem atque auctoritatem conſtanter eſt tutatus.

QVANTVM Eccleſiaſticæ auctoritati deferret inſinuatum eſt capite ſuperiori, ſed inſinuatum tantùm, non, vt res poſtulat, explicatum. Nullus enim fuit campus in quo adeo exultarit, nullæ contentiones quas adeo lubẽter ſuſtinuerit, nullæ deliciæ quas tam ſuauiter deguſtarit, quàm vbi ſpiritalis Eccleſiæ auctoritas ac dignitas erat protegenda. Nemo non meminit quos ille olim ſpiritus ſumpſerit cùm in Conſiſtorio Regio Magiſter Equitum Diguierius locum Cardinalitiæ dignitati debitum, illi præripere attentauit. Manſit enim Cardinalis intrepidus, & promptum manu atque audacia hominem ita repulit, vt capitis ſibi quàm dignitatis Eccleſiaſticæ quam gerebat immi-

nutionem gratiorem fore Regi palam enunciaret. Et valuit apud Regem viri auctoritas, tantáque rectè facti fiducia. Nam paucis pòst diebus ſuo ipſe ore magna maieſtate edixit : Magiſtros equitum in ſuo conſiſtorio Cardinalibus eſſe poſteriores oportere. Inuiſit eum aliquando officij cauſa vir in regno primarius, atque ab illo pro inſigni dignitatis gradu honorificentiſſimè eſt exceptus. Paucis pòſt diebus cùm ipſe viciſſim viſitationis officio vellet reſpondere, nuncium maturè allegat, & horis aliquot interiectis eò cum ſelectiſſima familia proficiſcitur. Aduentanti pauci aliquot obuiam prodeunt, eúmque in aula ſiſtunt. Herus pedem cubiculo non mouet & quærenti Cardinali vbinam ſit, reſpondetur mox adfuturum dum grauia quædam negotia confecerit. At ille reditum ſtatim ſuis indicit & in lecticam regreſſus domum cogitabat, cùm monitus herus in viam aduolat & obnixè factum excuſans domum ad ſe contendit reuocare. Sed ille tua inquit tibi negotia ſunt & mihi mea, tu dignitatem tuam vis retinere, & mihi mea non eſt deſerenda. Scio ego quid tuis meritis debeatur, ſed

non ignoro quid cum hac antiquioris Cardinalis dignitate apud me Ecclesia deposuerit. Videamus inuicem animis & amplectamur cordibus, sed dignitatis alter alteri intertrimentum non afferamus. Et cum dicto domum reuertit. Enimuerò si Cardinalis dignitatem hoc animi robore sibi protegendam censuit, quid ille faciet cùm quæ aduersus Pontificiam maiestatem molitio existet? Sanè nihil non illustre ac generosum. Etenim cùm per eadem circiter tempora libellus quidam in plurium manibus versaretur atque à nouatoribus eorúmque fautoribus in oculis ferretur, quòd summum Ecclesiæ Pontificem de Principis & supremi Capitis gradu in vilem Ministri sortem deiiceret, non cessauit Cardinalis verbis, libris, atque omni opera eum insectari, probos ac verè doctos Theologos contra illum excitare, Regem, Regiúmque Consistorium ad vlciscendam iniuriam Ecclesiæ permouere, atque eò rē adducere, vt libri auctor ante mortem palinodiam canere cogeretur. Quæ licèt Cardinali non planè satisfaceret pro magnitudine iniuriæ, nonnullum tamen fuit publicæ offensio-

ni remedium. Præſagiit ab hoc tempore verus vates Schiſmatis ſemina ab humani generis hoſte in ſolum Gallicum iacienda, ac niſi obuiam iretur infelici, ſed copioſo prouentu multiplicanda. Quam præſagitionem ſuam nimis fuiſſe veram biennio ante mortem cùm peruerſa contra gratiam Chriſti, Euchariſticam communionem, ac Pœnitentiæ ſacramentum dogmata emerſerunt, non parum deplorauit. Cæterùm cùm pſeudopolitici homines per ea quæ dixi tempora Epiſcopos totámque Eccleſiam vocarent in inuidiam quaſi iuriſdictione ſua Regni iuriſdictionem turbarent, vt nulli Eccleſiæ parti non iret ſuppetias Cardinalis, multa hac de re ad Regem diſſeruit eo in libro, quo cauſas explicat eierati à Clero Galliæ ſcripti, quod eius nomine vulgatum erat. Obtinuit verò hac atque aliis apud Regem diſſertationibus, vt ille Eccleſiam, eiúſque Præpoſitos ſingulari per totam vitam veneratione proſequeretur, eorúmque iura nulli aduerſariorum libidini expoſita eſſe pateretur. Nam quid dicam de Religioſis Ordinibus? quos ille omnes intimo amplectebatur ſinu ma-

ximè ſi promiſſam Deo perfectionem ex animo conſectarentur. Aurea eſt illius in eo quem dixi libro ſententia contra genus quoddam, vt vocat, Schiſmaticorum, qui Religioſos Ordines Regno mentiebantur noxios: Qui benè, inquit, ſunt aduerſus Religionem animati, non poſſunt non in regnum benè eſſe animati, cùm amborum vna ſit lex, & ſalus, Religionem fouere. Et infrà. Aut ſæculis omnibus retroactis nullum fuit hominum ingenium, & pietas, dum Religioſos Ordines tam impensè adamarunt, aut nullius vel ingenij vel pietatis eſſe oportet eos qui illos hodie noxios mentiuntur. Eſſe poterãt hæc ſatis vt Societas noſtra cæterorum Ordinum ſcuto atque vmbra tegeretur. Sed peculiarem illi defenſionem deeſſe non eſt paſſus Cardinalis: Id vnum, inquit, agunt eius hoſtes, vt hanc Societatem infament; ſed cùm ad rem ventum eſt, nihil contra quemquam eorum probatum eſt hactenus infame. Cauſa ergo Religionis Catholicæ eſt, quæ in illa Societate diſplicet, non vitium. Itaque nullam eſſe patiebatur Eccleſiæ partem cui laboranti non adeſſet, cuius honoribus non ſerui-

rer,

ret, cuius innocentiam verbis, ſcriptis, & omni ope non propugnaret. Nullus Epiſcopus hiſce aliquot annis à Regiis Iudicibus, aut aliis eſt moleſtiam paſſus, aut in munere ſuo præpeditus, qui apud Cardinalem ſibi præſidium non crederet præſto eſſe. Et ſcribebat aliquandò his de rebus Cardinalis ad Regem eiúſque ille litteras legebat perlubenter, vt pote ſalutis ſuæ amantiſſimi, remediáque prout ille ſuggeſſerat non negligebat.

CAPVT XV.

Libros & mores Eccleſiaſticæ auctoritati derogantes ferre non poterat.

FVIT hoc eius tota vita ſtudium acerrimum, vt quidquid id genus lucem vidiſſet diligentiſſimè legeret, expenderet, diſpungeret. Et obtulit ſe eius rei inſignis occaſio hoc tempore, quã Henrici Spondani verbis hîc legi malò quàm meis. Anno, inquit, Chriſti CIϽIϽCXXXIX. Indictione VII. ipſo 1639.
initio, Lutetiæ viſa ſunt duo grandia volumina vulgari idiomate Gallico ſub ſpe-

cioſo titulo Iurium & Libertatũ Eccleſię Gallicanę, earúmque probationum. Quę quòd abſque auctoris & typographi nomine, & edendi facultate furtiuè emiſſa ſint in publicum, multáque contineant quæ magis ad ſeruitutem Eccleſiæ tendere, & ſchiſmatis occaſionem præbere iudicata ſint, primùm à ſacro Conſiſtorio Regio prohibita ſunt diſtrahi & vendi, deinde Eminentiſſimorum Cardinalium cæterorúmque illuſtriſſimorũ Antiſtitum qui tunc Lutetiæ reperti ſunt numero vndeviginti, cenſura omninò proſcripta atque damnata. Neſcit enim Eccleſia Gallicana Libertates, quæ malum operentur, neſcit iura, quæ illã à Romanæ matris ſuæ firmiſſima connexione & filiali obedientia diuellant ac ſeparent. Quæ verò legitima ſunt priuilegia, & ſinceræ libertates, tam ipſius Eccleſiæ, quàm Regis & Regni, eas ad ſanguinem vſque parata eſt defendere & tueri. Collegerat hunc cœtum domi ſuæ Cardinalis Rupifucaldius, ac diu diligentérque annotarat & excerpſerat ex illis libris ea, quæ Eccleſiæ meritò videri moleſta ac oneroſa poſſent, & quæ, vt ipſe loqui ſolebat, ita Epiſcopos atque Eccleſiaſti-

cos omnes Pontifici ſubtrahebant, vt pragmaticis conarentur ſubmittere. Itaque non ipſe tantùm Cardinalis, ſed etiam Archiepiſcopi tres, & Epiſcopi quindecim, quibus poſtea adiungi voluit Cardinalis Lugdunenſis Alphonſus de Richelieu, encyclicas haſce litteras ad abſentes Epiſcopos, quibus libros illos damnatos abs ſe, & pro ea quæ eſſe inter Epiſcopos ſoleret ad Eccleſiæ bonum conſpiratio, ab eis etiam damnandos ſignificabant.

REVERENDISSIMIS AC RELIgioſiſſimis D. D. Archiepiſcopis & Epiſcopis per Gallias fratribus obſeruandiſſimis, Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Pariſiis agentes, ſalutem in Chriſto & felicitatem.

SPECVLATORES Iſraeliticæ domui datos, ſi venientem gladium viderint, & non videntes non monuerint, pereuntium ſanguinem ſuo ſanguine repenſuros, iam olim dixit per Ezechielem Dominus. Nobis itaque ſacro-ſanctæ Dei Eccleſiæ vigilibus ſuper Dominicum gregem excubantibus id propriè muneris incumbit. Nec charitati veſtræ ſu-

peruacua videri poterit noſtra ſolicitudo, ſi periculoſiſſimum toti Ieſu Chriſti regno imminens malum quod nos hîc pro Eccleſiarum noſtrarum rebus agentes primi vidimus, abſentibus denuntiamus. In hac alma Regni ſede paucis abhinc diebus nullo palam auctore, nulla publica edendi facultate typis mandata sũt duo volumina vulgari idiomate, quorum vni titulus eſt, *Traicté des droits & Libertez de l'Egliſe Gallicane*, alteri verò, *Preuues des Libertez de l'Egliſe Gallicane*, anno 1639. quæ haud dubiè furtiuo curſu non ad veſtras modò diœceſes, ſed ad exteras etiã nationes deſtinantur graſſatura. Non enim hæreſeos, & ſchiſmatis ac talium operum promotor, & artifex Dæmon huiuſmodi faces accendit, niſi vt ſpargat. Horum voluminum titulum qui ex veſtris ouibus inſpexerint Catholici accurrent ſtatim, & totis vlnis amplexabuntur. Libertatũ enim Eccleſiæ Gallicanæ nomen quod præferunt primogenitis Romanæ Eccleſiæ filiis Gallis dulce ſemper fuit, dum citra fidei & vnitatis præiudicium ſibi meritò indulta iura, quaſi inuiolatæ ſuæ erga Eccleſiam obſeruantiæ clariſſima monumenta cæteris

gentibus æmulanda venerantur. Verùm quàm blandus & ſuauis eſt horum voluminum titulus, tam venenoſus & letalis eſt eorum contextus, planè vt infelix ille quiſquis eſt compilator id præſtiterit, quod ſolent venefici qui nocentiſſima toxica dulciſſimis condunt eduliis. Nuſquam fidei Chriſtianæ Eccleſiæ Catholicæ, Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Regis ac Regni ſaluti nocentioribus dogmatibus quiſquam aduerſatus eſt, quàm iis quæ iſtis voluminibus ſub tam leni titulo recluduntur. Etenim ſicut hæreticorum & ſchiſmaticorum mos eſt, compilator ille multis peſſimis quæ propinabat, bona quædam immiſcuit, & inter falſas, & hæreticas, quas deteſtamur Eccleſiæ Gallicanæ aſcriptas ſeruitutes potiùs, quàm libertates, vera quædam & legitima glorioſiſſimi Regis noſtri iura, & Gallicanæ Eccleſiæ priuilegia expoſuit. Quibus vt nulla ætas, nulla auctoritas derogauit, nec nos derogare, aut ea conuellere volumus, aut intendimus, ſed ex veris iſtis aliunde ſatis cognitis paucula illa quæ adſcripſit, in tam vaſta, & & peſtilenti errorum abyſſo demerſa latent, vt ſatiùs duxerimus libros integros

apud vos censura vestra damnandos accusare, quàm difficilem immo impossibilem eorum expurgationem tentare. Pereant ergo funditùs, & ventilabro iustæ vestræ discussionis eiiciantur de area patris-familias zizania, non ideo tritici, si tantillum subest peribit, mille locis alibi conseruatum. Arceantur oues vestrę à pascuis, vbi pullulant aconita tam densa, inter quæ salutaris herba rarissima latitans vix potest sine præsentissimo periculo seligi. Volumen enim vtrumque ferè per omnia commata noxium, hæreticum passim, schismaticum, impium, verbo Dei frequenter contrarium, Hierarchiæ Ecclesiasticæ, & disciplinæ sacramentorum, ac sacrorum rituum destructiuum, Sanctæ Sedi Apostolicæ, gloriosissimo Regi nostro, Sacerdotibus Dei & Ecclesiastico Ordini, ipsique adeo Gallicanæ Ecclesiæ iniuriosum, ac periculosissimo scandalo plenum à nobis publico consensu iudicatum esse vobis significamus. Reuerendissimas paternitates vestras Dominus Ecclesiæ suæ diu seruet incolumes, domini religiosissimi & meritò obseruandissimi fratres. Ex ædibus Sanctæ Genouefæ apud Parisios

IX. Februarij anno Domini CIↃIↃC-XXXIX.

† Franciſcus Cardinalis de la Rochefoucauld.

† Andreas P. antiquus Archiepiſcopus Bituricenſis.

† Octauius Archiepiſc. Senonenſis.

† Victor antiquus Epiſcopus Boloñienſis, Archiepiſcopus Coadiutor Turonẽſis cum futura ſucceſſione.

† Iacobus Epiſcopus Sagienſis.

† Franciſcus Epiſcopus Vabrenſis.

† Auguſtinus Epiſcopus & Comes Beluacenſis.

† Leonorius d'Eſtampes Epiſcopus Carnutenſis.

† Nicolaus Epiſcopus Siluanectenſis.

† Claudius Epiſcopus Andegauenſis.

† Stephanus Epiſcopus Dardanienſis.

† Henricus Epiſcopus Appamiarum.

† Ægidius Epiſcopus Adurenſis.

† Ludouicus Epiſcopus Regienſis.

† Nicolaus Epiſcopus Aurelianenſis.

† Nicolaus Epiſcopus & Comes Vcetienſis.

† Dominicus Epiſcopus Meldenſis.

† Stephanus Epiſcopus Briocenſis.

† Alanus Epiſcopus & Comes Cadurcenſis.

Addendum huc video quod biennio antè confectum ob argumenti similitudinem est à me hunc in locum reiectum. Deriuatus erat sensim in Gallicas Ecclesias, incertum quo ex fonte, mos Episcopis planè incommodus, vt Officiales, quibus contentiosam iurisdictionem exercendam dabant, id sibi officium ita deinceps vendicarēt, vt nec ab Episcopis qui dederant, nec ab eorum successoribus abrogari illud sibi posse contenderent. Hinc nascebantur inter vtrosque frequentia dissidia, Episcopalis reuerentiæ imminutio, litigantium vexatio, scita contraria, & id genus sexcenta, quæ nec dignitas Ecclesiæ, nec populorum vtilitas, nec antiquitatis exempla tolerare possent: coegit in domum suam Cardinalis Episcoporum cœtum, in quo lecti aliquot Episcopi, & iustas ad regem querelas Ecclesiæ deferre rogati, Decretum retulere Consistorij Regij, vt Officiales in Episcoporum potestate essent, atque vt illis iubentibus adibant officia, ita obnitentibus retinere non possent. Quod decretum in frequentissimum postea tribunalium vsum est admissum.

DE VITA ET REBVS GESTIS FRANCISCI DE LA ROCHEFOVCAVLD S. R. E. CARDINALIS

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Quotidianæ Cardinalis actiones.

QVIES illi fuit ab anno CIↃIↃC-XL. placidissima eorum negotio- 1640.
rum, quæ vel ad cõmune vel ad priuatum aliorum bonum pertinerent,

ſed eorum, quæ pietatem auctiorem ipſiúſque ſalutem facerent certiorem, nulla vnquam fuit ceſſatio. Ac cùm ſolemne illi retro fuiſſet ſanctorum hominum reliquias in deliciis habere, eas vndique accerſere, & quàm poterat pretioſiſſimis thecis includere, tum mirifica deinceps huius pietatis ſibi adiecit incrementa. Cùm quid huius generis illi eſſet allatum excipiebat incredibili reuerentia, & captato loco ab arbitris, vt credebat, vacuo exoſculabatur, amplexabatur, & inſigni cultu venerabatur. Nimirum coaleſcit amor ſimilitudine ſtudiorum, nec eos non amare poterat, quos tam enixè æmulari in omni vita contendebat. Propagabat etiam in Galliam vniuerſam, nationéſque procul poſitas hanc pietatem, excogitato numiſmatum quodam genere ex puluere marmoreo, & gummoſo quodam glutine ſenſim in lapidem obdureſcente, cui cùm aliquid Reliquiarum dum adhuc tener eſſet & tractabilis admiſcuiſſet icones imprimebat elegantiſſimas ac diutiſſimè duraturas. Nec facilè pietati ſtuduit quiſquam impenſiùs, quin eiuſmodi numiſmata magni muneris loco ſibi ab illo

donari non exoptaret. Pendebant itaque de collo plurimorum alia orbiculata, alia bullata in cordis effigiem, alia crucis figura, alia ſtatunculæ; cludebantur autem vitro, cryſtallo, argento, auro, ac nonnunquam in multiplicis formæ tabulas expandebantur ordine eleganti, vt non hominibus tantùm, ſed etiam templis atque Oratoriis eſſent ornamento. Laborabat in his numiſmatis effingendis magna voluptate cum domeſticis preſbyteris & familiaribus aliquot honeſtioris loci mox à prandio. Quæ res me admonet vt diurnas occupationes eius, in quibus maxima erat pars pietatis à prima luce recenſeam. Ergo hora quinta dum valetudo eſſet integra inter tacitas preculas lecto ſe eximebat, ſiquid medicamenti ſumpſerat, quod extremo ſenio crebrum fuit, dum medicamenti effectum præſtolabatur Roſarium digitis, & ore perpetuo euoluebat. Sed nihil horum præuertebat actui contritionis, & amoris Dei, quem ille cùm noctu euigilauerat breui oratiuncula comprehenſum crebrò exercebat, ſemper autem mane cùm euigilabat, vt ſurgeret, ſæpiùs etiam in die iterabat.

Vt erat indutus ad pedes Sacerdotis peccata confessurus quotidie accidebat, tanta conscientiæ teneritudine, tanto omnium momentorum examine, tanto animi dolore, vt nemo eum audiret quem non sui puderet. Sacris dehinc mysteriis quotidie operabatur, dum vires tulere; sed posteaquam stare sine labore, & casus periculo ob ætatis grauitatem non potuit, intererat illis sedens aut genuflexo, & quotidie communicabat. Congressus excipiebat cum Deo intimus, animique ad illum attenta, ac grata collectio, quam non abrumpebat cura corporis quæ mox adhibebatur ad oculos lippitudine rubentes, ad tibias, quas in senectute illa vexarunt ferè semper vlcera, ad brachia caustico medicamine aperta. Quæ ille tam patienter ferebat omnia, vt videretur non sentire. Ad octauam stomachum fouebat iusculo, & nonnullo cibo postquam senuit. Inde ad dictandum quidpiam, cõsulendum, respondendum, si quis interuenirret, vertebat animum vsque ad decimam. Si hæc opportuna non erant librum sumebat in manus, vel quem refelleret si erroris suspectus esset, vel quo

animum paſceret, arcanáſque de pietate cogitationes fulciret. Sæpe illi voluptati fuit cùm legendo oculi dolerent, benè longas horas contemplandis imaginibus impendere: atque audiui cùm actionibus Chriſti, B. Virginis & Sanctorum oculos atque animum diu quandoque ſaturaſſet, in hæc ſecretò verba erumpentem: Quàm ſuauis eſt iſta cum Sanctis conuerſatio, & ab hiſce terris in cœlum commigratio! Præcipua illi erat, vt Sanctis ferè ſolet, erga Virginem Beatam pietas, cuius ſodalitio quod in domo eſt noſtra S. Ludouici adſcribi ſe mox vt coaluit, curauerat, & orationem qua ſe illi ſodales dedicant, præſidiúmque in morte cum primis ab illa poſtulant, poſtremis vitæ annis ſæpiùs ſolebat iterare. Prandebat decima ſanè frugaliter, atque à prandio, vt dixi, effingendis numiſmatis, imprimendis, purgandis, collocandis in thecas ſuas, & quod caput erat eleemoſynis Preſbytero ſuo in eos quos ipſe, vel alij ſuggeſſerant imperandis horas aliquot impendebat. Etſi autem res illi erat cum adminiſtris, quorum fidem quadraginta ipſos annos & eo ampliùs teſtatiſſimam habuerat ac perſpectiſſi-

mam, tamen rationes domesticas dati & accepti ad extrema vſque propemodum fata nitidiſſimè ſibi perſcribi voluit, eáſque horis hiſce pomeridianis non ſegniter quandoque perlegit. Illud verò in primis aduertit ne quid vſquam æris alieni contraheretur, qua re nulla illi contingebat moleſtior, ſi quando inciderat. Aſſerebat autem huius rei negligentiam inter prima eſſe hominum, maximè Eccleſiaſticorum, peccata. Quippe qui hac negligentia, & fortunas Deo conſecratas facilè perire patiantur, & ære alieno impliciti certa ſibi ad mortem tormenta, ſed inextricabilia, & certiora creditoribus detrimenta accerſant. In primis verò illi curæ fuit, vt rationum domeſticarum librũ, cum alio, qui Eleemoſynarum Catalogum continebat libraret, & quidquid ſibi in illo ſupereſſe viderat transferret in alterum. Ad ſecundam poſt meridiem redibat ad inſtitutum legendi, aut conſulendi, ſiquid erat dubium, aut Roſarium deuotus percurrebat. Gratificatus illi ante aliquot annos, quàm vita decederet, fuerat Vrbanus Octauus, vt ne Canonicas horas recitare de more teneretur, cùm diceret

ætati id potiùs, quàm gratiæ deberi: ſed ille ceſſationem ſibi legendi datam gratulabatur, non tamen precandi. Itaque de penſo precum quas memoriter promere poſſet nihil detrahebat. Cùm aër incaluerat ad tertiam ſella geſtatoria in Eccleſiam, vel domum Religioſam vehebatur, fauſtis ferè populi vocibus proſequentibus. Quo tempore dum in Eccleſia, dum in hortis, dum in via publica eſſet nunquam illi de manibus cadebat roſarium. Pauperes verò vi magna accurrentes largiore tunc eleemoſyna afficiebat. Ad quintam ferè domum reuertebat, vel ex geſtatione illa publica, vel ex priuata intra hortos ſuos, qua etiam vtebatur non raró, ac paucis aliquot cum domeſticis hilariter commutatis ſermonibus (erat enim illi ſuauiſſima hilaritas qua deuotionis auſteritatem ac ſolitudinem egregiè condiebat:) ad cœnam ibat hora ſexta. Non longo à cœna interuallo condebat ſe cubiculo, Roſarium ſolus ſemel atque iterum recitabat, tum conſcientiæ ſinus omnes diſcutiebat, ſi quid occurrebat minus exploratum, cõſilium ſcripto de more exquirebat, accito deinde ſacerdote confitebatur accuratiſſimè,

quæ in se notarat, certus nullam se quietem tota nocte capturum si vel minimo peccato in Dei offensionem se incidisse, nulla purgatum pœnitentia sensisset, itaque octo ante mortem annis cum maiore quotidie conscientiæ teneritudine cœlo illum Deus pararet, vnum è suis sacerdotem in cubiculo suo somnum capere voluit, vt si quid fortè euigilanti de nocte memoria suggessisset peccati anteacti, nec retractati, statim illud per confessionem deleret, pacéque ac venia à Deo impetrata iucundiùs, ac securiùs relaberetur in somnum. Hac ille actionum piissimarum periodo decrepitæ ætatis suæ dies omnes circumscripsit, donec cœlo maturus breues hosce dies commutauit cum æternis.

CAPVT II.

Retinens non fuit memoriæ iniuriarum.

TVRBAVIT hanc eius quietem nõnihil liber importunissimus, qui eo quem postremo dixi anno nescio vnde è tenebris sine auctoritate, sine laude

in hanc Parisiorum lucem irrepsit, omnia schismatis iam regnantis ac latè per Galliam fusi terrore percellens. Etenim qui tunc negotiis Regni præerant optimum factu duxerunt, vt scripto extaret Cardinalis Rupifucaldij testimonium de libri illius vanitate, & terroris, quem inferebat, inanitate. At Cardinalis insolentia rei perculsus negauit diutissimè dignitatis suæ esse, vt testimonium hisce de rebus abs se exigeretur, perstititque aliquot dies in sententia nihil scripto, aut verbo hîc decernendi. Illud crebrò inter suos inculcans, Ego Francisco nihil deberi sat scio, sed Cardinali, cuius eadem est cum Ecclesia causa, plurimùm. Verùm posteaquam intellexit liquidiùs, non suam hac in re iniuriam quæri, sed auctoritatem potiùs, ac dignitatem, vt libro quem ipse quoque vanissimum ac perniciosissimum esse asserebat, ipsius auctoritate, scriptóque penitus adimeretur fides, adductus est vt ista scriberet. Constare sibi manifestò nullum publicè esse hoc tempore pertimescendum in hoc regno schisma, quippe eam esse Regis religionem, ac pietatem erga Deum, eam aduersus Eccle-

ſiam, Præpoſitóſque eius reuerentiam, atque amorem, vt inanis planè eſſet, ac ipſi iniuria, omnis hac in re timoris vmbra. Magiſtratuum etiam quorum ille opera vteretur adeo ſibi perſpectam eſſe ſapientiam, integritatem, & fidei Catholicæ ſtudium, vt ſcelus putet ſiniſtri quidpiam de illis hoc loco ſuſpicari. Verùm tacere ſe non poſſe tantam ſe ab annis aliquot in priuatis quibuſdam hominibus obſeruaſſe curioſitatem, tantum noua ſentiendi ac dicendi pruritum, vt quamlibet nihil publicè, tamen nonnihil illis priuatim cenſeat metuendum. Eam in rem teſtimonium adiecit duorum hominum doctrina inſignium, qui nuper magna in laude Pariſiis vixerant. Quod ille teſtimonium ab eis olim elicuerat dum Regis frequentaret conſilium, vt data occaſione remedium malo afferre conaretur. Non addidit plura ſcripto Cardinalis, ſed rogatus poſthæc à ſuis quibus ex cauſis priuatim aliquibus ſibi timendum cenſuiſſet, dixit. Quis enim non tantùm non timeat, ſed etiam cohorreſcat, cùm videat ſcriptis & verbis hodie quoſdam homines non tantùm priuatos Religioſorum hominum

lapſus amariſſimè traducere, quod plebis exemplo non prodeſt, ſed etiam ſtatui ipſi Religioſo de vtilitate ac bonitate controuerſiam facere; cùm conſtet omnium propè Patrum Eccleſiæ laudibus illum & amore dignum habitum, atque à Conciliis etiam œcumenicis mirificè commendatum? Quis non priuatis timeat, quos videmus hodie chartis impalleſcere, atque in peruolutandis veterum ſcriptis conſeneſcere, vt moribus hodiernis Eccleſiæ, aut truncatis malignè, peruersíſque, aut malè imperitéq; acceptis eorum verbis, accuſationem adornent? Quem verò non multo maximè perturbet illorum audacia, qui dogmata iam olim proſcripta, ac damnata, quaſi adamantini pectoris, & lectionis nunquam ceſſantis inuenta noua, ob oculos hominum reponere non verentur? Hæc ille veris deplorabat lacrymis inter ſuos. Cæterùm Cardinalis, cui illud de Moyſe verè tribuere licebat, erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terris, nulla tangebatur vel iniuria, vel moleſtia, ſed vt quemque maximè ſenſerat aduerſantem, ita erat in eius commoda, voluntatéſque

propensissimus. Dum aulam adhuc assectaretur, & Regi in Ecclesia pro Magni Eleemosynarij munere præsto esset, interrogatus est ab illo vtrum aliqua esset conscientiæ noxa, si rem, quam fusiùs exponebat, postulantibus concederet. Respondit Cardinalis videri sibi eam rem, quòd cum alterius iniuria coniuncta esset, concedendam non esse. Interfuit ei quæstioni quispiam doctrinæ nomine non obscurus, qui præfractè illi contradixit, & nullam hac in re noxam animæ fore contentiosè defendit. Erubuit toto vultu Cardinalis, tam subita reprehensione coram Rege, qua nihil solet aulicis esse durius, extemplo perculsus, sed silere maluit quàm funem ducere contentiosum. Rex tamen eum facto defendit, eius potiùs quàm alterius responsum sequutus. Vidimus postea virum illum in Cardinalis domo tam honorificè exceptum, tam amicis verbis factísque auctum vt satis constaret iniurias, aut in Rupifucaldij animum non subire, aut non altè descendere. Furtim illi aliquando pecuniæ summa non leuis è cubiculò subducta fuit. Vbi rem aduertit nõ aliter est commotus, nisi quòd

domeſticos aliquot ſigillatim interrogauit. Tu hanc pecuniam non tuliſti? Et negantibus ſine dubio c edidit, nec vltra quæſtionem promouit. Poſteaquam compertus eſt auctor facti, non tantùm nihil contra eum mouit, ſed ſumma etiam in ſolicitudine fuit, ne quid ille eam ob rem aduerſi pateretur. Neque verò hæc iniuriarum obliuio puſilli fuit aut tardi per ætatem animi. Nam ex aduerſo beneficiorum, quibus ſe interpretabatur affectum, memoria fuit vſque ad extremum ſpiritum tenaciſſima, nec vnquam ſibi in reponenda gratia iis quibus ſe aliquid debere cenſuit fecit ſatis, nec procul mihi huius rei petenda exempla, cùm noſtra Societas id mille modis poſſit conteſtari.

CAPVT III.

Aruernis de ſuo attribuit vnde alerentur Societatis IESV *homines, qui Doctrinam Chriſtianã Ruſticis exponerent & Ordinandis munus ſuũ.*

NIHIL ſolet fieri Societati noſtræ gratius quàm cùm ratio quædam

illi aperitur ſalutis hominum procurandæ. Nouerat id iampridem Cardinalis, erátque eam in rem non parum intentus, vt nullam occaſionem nobis hoc in inſtituto gratificandi prætermitteret. Itaque per annos plures, tum iis in locis, quæ Sanctæ Genouefæ Monaſterio ſubſunt, tum in Claromontano Epiſcopatu, quem olim rexerat, occupatos noſtrorum aliquos habuit in excurſionibus ad pagos, & mapalia ruſticorum, vt Chriſtianam illis doctrinam, ac pietatem, dum ab opere ruſtico ceſſatio erat, inſtil-
1641. larent. Sed ad annum CIↃIↃCXLI bonum, quod expertus erat maximum, voluit etiam eſſe perpetuum. Nam cùm fortè, vt ſolebat, in vitam anteactam referret aliquando cogitationes ſuas, venit illi in mentem fuiſſe olim in Eccleſia Claromontana Archidiaconos, qui Preſbyteris Parochias regentibus inuigilantes inſtitutioni plebis ruſticæ eos ſeriò incumbere cogerent, ſed poſteaquam ad Sanctum Florum conſtitutus fuit auctoritate Pontificia thronus Epiſcopalis, traductis eò Archidiaconis, Procuratores quoſdam Claromonti ſubſtitutos, quibus ius eſſet (etſi Archidiaconi non

erant) parochos viſitandi, eóſque ad officia, quæ plebi deberentur, indicta etiam mulcta adigendi. Eos Procuratores, quòd lapſu temporis omnia labefactante ſeuerè nimis, atque auarè erga Parochos agerent, mulctas grauiores imponerent, ſua ſibi ſtipendia iniuſtiùs exſolui vellent, abs ſe cùm Epiſcopatum iniiſſet eo officio abire iuſſos, quòd in animo haberet clementiùs cum Parochis agere, nec annuam viſitationem vnquam prætermittere, poſtea tamen Claromontanam ſedem cum Siluanectenſi mutaſſe, ac ſua culpa factum (ita pro integerrimo tenerrimóque ſuæ conſcientiæ ſenſu interpretabatur) vt nullus iam eſſet, qui ruſticorum eruditionem in fide ſeriò procuraret. Tenuit eum hæc cogitatio dies aliquot pendentem animi, atque ex interuallo nonnihil inquietum, ſed affulgente tandem tranquillitate conſilióque aduocato narrat ſibi in animo eſſe agreſti Claromontanæ diœceſis plebi nullo eius ſumptu inſtitutores Chriſtianæ fidei, ac probitatis donare, vt eo audirentur attentiùs, ac ſuauiùs quo minus eſſent illi oneroſi. Nemo fuit qui inſtitutum non probaret,

licèt nulla eum lex conſcientiæ, vt aſſe-uerabant, ad id aſtringere videretur. Itaque ne quem fortè eorum, qui ea in regione ad id eſſent idonei, prætermitteret, pecuniæ ſummam numerari iubet Recollectis, Presbyteris Oratorij Gallici, & Patribus Societatis, qui in Aruernis degerent, rogauítque vt hoc ſumptu ad rudes populos ſalutarem fidei morúmque Chriſtianorum doctrinam circumferrent. Excitati tam ſancta expeditione populi concurrerunt innumerabiles, nullum finem audiendi, peccata purgandi, & ſacra participandi myſteria fecerunt. Quæ vt Cardinali fuerunt renunciata induxit animum, vt plebem illam tanti fructus immortaliter compotem faceret, egítque in primis cum Patribus Recollectis, vt de ea ſumma ſecum paciſcerentur, cuius annua penſione poſſent ſuſtentari Religioſi duo huic operi à Præfectis Ordinis deſtinati. Sed cùm reſponſum illi dediſſent, non eſſe inſtituti ſui, vt annuas ad quidquam operis penſiones admitterent, vertit aliò conſilia Cardinalis, & in populi Aruerni commodum quatuor millia librarũ grauis æris attribuit è bonis ſuis, vt ducen-

tarum librarum penſio annua conficeretur, qua Roſaria, cruces, imagines, & id genus alia popularis pietatis inſtrumenta, quotannis coemerentur, & Patribus Recollectis in populũ diſpenſanda præberentur. Deinde cum Patribus Societatis noſtræ conuenit de libris annuis octingentis, quibus quatuor è noſtris alerentur, dum duobus in anno menſibus alij ſuperiorem, alij inferiorem diœceſis partem docendo perluſtrarent. Verùm cùm biennio poſthæc exacto Parochiarum Aruernenſium numerum iniiſſet, & quatuor illos homines totam diœceſin, non ante annos plures luſtrare poſſe intelligeret, ſi vel octo dies in vnaquaque morarentur, quod tempus ad eruditionem vel leuem, eſt breuiſſimũ, adiecit rurſum ad priorem ſummam mille grauis æris libras annuas, vt ab octo, vel nouem è noſtris breuiori multo tempore omnes percurri poſſent Parochiæ. Cæterùm luſtrationes haſce omnes ita ab Epiſcopi nutu ſuſpenſas eſſe voluit, vt nec ſine illius conſenſu quiſquam ſe ad iter accingeret, nec contra eius imperium pedem promoueret. Non ſtetit hoc loco eius erga Aruernos beneficen-

tia. Non enim nescius quanta vulgo ignorantia laborent, non tam literarum, quàm omnis obligationis, & officij Ecclesiastici, ij qui ad sacros ordines ex agris in ciuitatem accurrunt, Collegio nostro Montisferrādi haud procul Claromonte quingentas quotannis libras de suo attribuit, vt esset vnde alerentur qui eos Ordines postularent octo diebus solidis, quibus à nostris docerentur mores iis Ordinibus consentaneos, & totam vitæ Dei ministerio dignæ rationem.

CAPVT IV.

Qua cura Beneficia sibi commendata administraret.

NVLLVM memini dolorem illi extrema ætate fuisse frequentiorem ac constantiorem, quàm cùm menti occurrebat Monasterium Trenorchij suo apud Pontificem interuentu ex Regulari factum sæculare. Respiciebat enim eo tempore ad Congregationem Benedictinam Sancti Mauri, à qua innumera in regionem totam commoda prodire

aiebat potuiſſe, ſi illo fuiſſet inducta. Sed ſi quis illic fuit lapſus, temporis fuit non hominis. Neque enim dubium eſt, quin ſi eam Congregationem tempus citiùs adduxiſſet, ad illam Cardinalis animum adiecturus fuiſſet. Verùm cùm eo in Monaſterio plurima tunc videret contra ea, quæ à Monachis cum Deo pacta conuenta fuerant, palam admitti, nec aliunde quidquam affulgeret melius, maluit tunc meritò ſolutos illic habere homines, quàm diſrupta vndique perniciosè trahentes vincula, eáque Deo promittentes, quæ nec præſtarent deinde, nec porro eſſent præſtituri. Fecit eum hic dolor magnopere deinceps ſolicitum, vt nullum haberet Monaſterium, in quo prima cura non eſſet fidem Deo per vota datam ſeruare illibatam. Vix biennio in poſſeſſione fuit Monaſterij Sanctæ Genouefæ, cùm illuc induxit Canonicos S. Auguſtini Siluanectenſes vitam ſanctiorem ſectantes. Vix Reomaenſibus præfectus fuit, cùm paucis pòſt menſibus per Congregationem S. Mauri primæuam illis reddidit diſciplinam. Sancti Portiani Monaſterio præfuit aliquandiu, nec diſtulit quin eidem

Congregationi ſæpe illud, prouentúſque eius omnes offerret, immo ingereret, ſi non illa, vt rationibus ſuis & inſtituto minus conſentaneum, reieciſſet. Hac ille ſolicitudine cùm Monaſteriorum ſuorum diſciplinam, virtutémque curaret, tum incredibilis erat diligentiæ, vt ædificia omnia illorum ſacra ac profana ſine vitio eſſent, nihil in agris, nihil in vrbe deeſſet eorum, quæ ad optimum poſſeſſionum ſtatum pertinerent. Itaque vt in Monaſterij cuiuſdam poſſeſſionem pedem poſuerat, non vt vulgo fit, quæſiuit quid quantúmve caperet, ſed quid in illud impendi poſſet, vt ſartatecta, ornatus, & commoditates ſi quæ deeſſent reſtituerentur, nec antè quidquam percipiebat quàm his omnibus eſſet factum ſatis. Religioſis qui in Monaſteriis eſſent prima omnia ac præcipua dabat, profeſſus ſæpe apud ſuos cenſere ſe panem primum filiorum eſſe, ſecundum alienorum. Vt à Religioſis diſceſſerat altera ei cura erat de Parochis plebium, quæ Monaſteriis ſuberant. Itaque nunquam expectauit vt portionem quam vocant congruam Parochus lite conteſtata depoſceret, ſed ibat ipſe obuiam

liribus, & nec cogitantes, nec postulantes adigebat vt quod esset sustentationi, & labori congruum, abs se acciperent. Negabat enim suum quidquam in Monasteriis esse donec hi quæ sua erant abstulissent. Itaque legi ego tabulas ab eo confectas, quibus octo Parochis Trenorchiensis Monasterij annuas libras sexcentas de nouo partiebatur in futurum, ipsis nec opinantibus nec postulantibus, sed hoc faciendum cēsuerat, cùm priores reditus non esse satis iudicasset. Eadem deinceps charitate ac solicitudine Reomaensibus prospexit.

CAPVT V.

Præsens periculum detrimenti ab Ecclesia Parisiensi auertit.

FERVEBAT bellum atrox ad omnes propè Galliæ limites exeunte anno Christi CIↃIↃCXLII, atque 1642.
ad insequentem atrocius expectabatur. Ad id bellum, quia tot iam annis exhaustum Regis ærarium par esse non poterat, quæsita est à Præfectis ærarij ratio, qua publica egestas priuatorum com-

modis ſubleuaretur. Et fuit, qui ſuggereret nullam eſſe conficiendæ pecuniæ viam procliuiorem, quàm ſi iura quædam à Regibus olim Eccleſiaſticis viris attributa redimerentur, multo pluris venum hominibus laïcis danda, quàm redimerentur. Ea iura duplicis fuere generis. Vnum alti in laïcos dominij, quo ius gladij Eccleſiaſticis olim ita fuerat conceſſum, vt per laïcos exerceretur. Alterum infimi dominij, quo domus, & agri Eccleſiaſticis cenſuales facti erant. Iura ergo hæc duo ab Eccleſiaſticis Pariſienſibus primùm repeti huius conſilij architectus ſuadebat, vt his ſemel ſub iugum miſſis, nemo eſſet tota Gallia, qui hiſcere contrà auderet. Peribat hoc vno Elogio, ſi valuiſſet, Eccleſiis propè omnibus Pariſienſibus, & honor maximus, ſi altum dominium, & vtilitas ingens, ſi infimum auferretur. Rogarunt multi ex Pariſienſibus Eccleſiaſticis Cardinalem, vt Regem verbo, aut ſcripto de tam inſigni Eccleſiæ detrimento moneret, omniúmque illi querelas repræſentaret, certi pro ea, qua erat apud Regem opinione, atque exiſtimatione, ipſum huic Eccleſiæ labi, aut moram, aut obſtacu-

lum allaturum. Incitarunt currentem. Id enim ipſum animo iampridem voluebat, nec multos poſt dies has ad Regem de eo negotio literas dedit, quas ego ex Gallico in Latinum ita commutaui.

DOMINE,

Cùm à Præfecto vno ærarij Maieſtatis tuæ renunciatum mihi fuerit, quæſitum in Conſiſtorio tuo, vt in fiſcum reuocarentur iura alti ac infimi dominij, quæ viri Eccleſiaſtici in hac ciuitate poſſident, video me duplici obſtrictum officio, & erga diuinum obſequium, & erga ſalutem tuam, vt totius negotij cõditionem, ac naturam tuæ Maieſtati aperiam. Non enim dubitare mihi licet, quin illorum duorum obſequij Dei, & ſalutis tuæ, par apud te ſit immo vnica curatio. Iam illud opinor liquidò conſtat quæſtionem hanc, quæ honorem, & facultates detrahit iis hominibus, quos Deus Eccleſiæ Præpoſitos eſſe voluit, rerum ſcilicet ſacrarum adminiſtros & ſalutis humanæ curatores, aduerſariam eſſe ei ordini, quem Deus in obſequio ſuo ſeruari voluit. Neque verò illa ſaluti tuæ minus eſt aduerſa, cùm in tutela magna-

tum, qualis tu es Ecclesiam suam Deus esse voluerit, háncque ob causam eos potestate, & opibus copiosè instruxerit, vt Ecclesiæ sustentationi quodammodo obligaret, iuxta promissionem illam Esai. 49. Esaiæ. Erunt Reges nutricij tui & Reginæ nutrices tuæ. Cui promissioni quid magis cogitari possit contrarium, quàm quod ab istis quæritur vt tu ipse Ecclesiam de suis deiicias honoribus, eámque facultatibus suis spolies, non facilè occurrit. Sanè inauditum iam olim non fuit, aut inusitatum, vt qui Ecclesiam regerent, temporali etiam quadam iurisdictione potirentur. Nam ad Ecclesiæ primordia cùm ea lege tantùm naturæ regeretur, qui familiarum erant principes ac præcipui scilicet facultatum Domini, sacerdotio fungebantur. Et Melchisedech non solùm, vt habet liber Geneseos, sacerdos fuit Dei altissimi, sed etiam Rex Salem. In lege deinceps à Moyse scriptis mandata, etiam ciuiles leges Aaroni simul, & Moysi dictantur vt populo subindé ab vtroque promulgentur. Et atrocissima omnium, quæ vnquam auditæ aut visæ fuere, vindicta in Core & socios, quos viuentes infernus

hau-

hausit, eo inflicta est, quod in vtrumque fratrem seditionem mouissent. Erat præterea tunc vnctio Regibus simul & sacerdotibus communis, & quæ inter cæteras tribus interdicebantur matrimonia, ea in sacerdotali, & Regia quandam vtriusque dignitatis participationem communibus liberis tribuebant. Denique de lege Christiana illud satis est dicere, in Christi matre tribum vtramque coaluisse, & à Dauide Christum sacerdotem vocari secundùm ordinem Melchisedech, qui Rex simul fuit & sacerdos. Nam quid dicam de censibus, & facultatibus, quæ alendis Ecclesiasticis viris sunt attributa? Certè ex ipsa Religione quæ illis nititur, æstimandum de illis insinuant hæc Pauli ad Corinthios: Si nos vobis spiritalia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus. Cæterùm numerus centum quindecim Episcopatuum & Monasteriorum propè innumerabiliũ in hoc regno tuo, satis docent alium longè sensum fuisse decessoribus tuis, & populo Franciæ, de rebus ad Religionem spectantibus, quàm huius auctores quæstionis tibi conentur suadere. Non præter-

1. Corinth. 9.

mittam huc, Rex, addere frequentes pœnas, quas Deus ab iis expetiit, qui res dedicatas Religioni contemptim tractarunt, notas esse certissimas indignationis eius aduersus id genus hominum. Improbatus est primùm Saul quòd sacrificium attentarit illicitè, Osias quòd incensum eodem modo obtulerit, Oza quòd Arcam parum reuerenter attrectauerit, Baltazar Rex Babylonius, quòd vasa sacra à patre suo de Ierosolymitano templo asportata conuiuio suo adhibuerit. Nam cuiusmodi tormentum fuerit conscientiæ Antiochi, quòd de templo vasa abstulisset, & quanta castigatio Heliodori à Seleuco Rege legati, vt templi expilaret thesauros, nihil attinet dicere. Quæ omnia Maiestatem tuam monere possunt, interesse maximopere, vt Dei in primis ratio habeatur in quæstione tibi proposita, cuius obsequium in ministris eius tam insigniter læditur. Quod verò præterea ad salutem tuam pertinet, quæso oróque, vt in quadam quasi libra constituas vna ex parte bona æterna, & conscientiæ quietem, ex altera verò facultatulas illas, quas huius quæstionis auctor tibi ad breue tempus pollicetur,

non ſine tormento conſcientiæ, & perpetuo reſtituendi onere ; adde & famæ labem apud omnes populos, qui de pietate tua non poterunt non ſiniſtri quidpiam cogitare, dum audient eos honores & facultates, quas ſanctiſſimi, piiſſimíque Reges Eccleſiæ Dei ſui donare æquum cenſuere, tuo nunc iudicio ſublatas fuiſſe. Claudo has literas verbis illis Prouerbiorum, Cor Regis in manu Dei, veneratus eum, ac precatus, vt cor tuum impleat gratia, ac benedictione ſua, ac doceat quid à te expectet ad gloriam ſuam, & ſalutem tuam. Hæc optat,

DOMINE,

Maieſtatis tuæ humillimus ſeruus ac ſubditus FRANCISCVS Cardinalis de la Rochefoucauld.

Perlegit has literas Rex auidiſſimè, ſæpiúſque reguſtauit, ac cùm non longè poſtea tentari eo morbo cœpiſſet, quo ſublatus eſt, nihil habuit antiquius, quàm vt tota illa quæſtione abſtineretur in poſterum, ſeueróque interdicto Eccleſiarum ſecuritati proſpiceretur.

CAPVT VI.

Affectus eius erga Regem & Regnum.

NVLLA erant eius ardentiora ſtudia quàm in fouenda Regis ac Regni pietate, & religione, iiſque omnibus, vt poterat auertendis, quæ obeſſe vtriuis poſſent. Cùm ergo intelligeret triplici ferè ſpiritu procelloſo Regis, ac Regni futuram ſalutem præſentémque tranquillitatem turbari poſſe, hæreſeos, pſeudopolitiæ, & ſchiſmatis, nunquam ceſſauit in vita, ab hoc Galliæ æquore quâ poſſet eos propulſare. Itaque hæreſin hæreditario proſequutus odio, vbi aliquid potuit, nunquam eſt paſſus quieſcere. Cùm enim & inſignis familiæ nobilitas, vnde illi erat origo, & notiſſima vitæ probitas, non Catholicis minus, quàm Caluinianis optimatibus eũ commendarent, magnopere ſtuduit Henricus IV, & poſt eum Ludouicus XIII illum cum hæreticis committere, vt qui nihil propè aliud Catholicis exprobrare ſolerent, niſi hominum Eccleſiaſticorum vitam, hac in Cardinali depulſi ca-

lumnia, omnibus deinde ſolidiſſimi eius iudicij atque exercitatiſſimi ingenij petitionibus paterent. Neque verò turbulentæ illi erant, vt ſolent, cum huiuſcemodi hominibus, concertationes, ſed tanta comitate, ac grauitate conditæ, vt non minima hinc quoque vis perſuadendi exiſteret. Sanè nulla illi ætatis pars ab his congreſſibus, ac contentionibus cum hæreticis, vacua fuit, ſed cùm iam annorum ac morborum pondere ingraueſceret, quod verbis non potuit, ſcriptis conficere eſt conatus, vt nulla eis ſubterfugia, nullas defenſionis vmbras relinquere conaretur, quibus ſuam ab Eccleſia ſeceſſionem obuelare poſſent. Nam & Philippum Mornæum Caluinianorum ſuo tempore anteſignanum multa de Eccleſia imperitè garrientem longo opere, quod Claromontano legauit Collegio validè confutauit, eíque tandiu incubuit, donec vires tulere, & vis veneni ab eo diffuſi viſa eſt perniciem minitari; ſed cùm iam & ipſi extremum ſenium vires, & Mornæi veneno periculum, temporis decurſus abſtuliſſet, opus ſuum edere in publicum neglexit. Collegerat alio quoque

opere hæreticorum ineptos ſéque inuicem compungentes errores, quod etiam in ſchedis iacere imperfectum eſt paſſus. Nimirum non gloriam per hæc ſcripta, ſed vtilitatem tantùm publicam, atque opportunitatem quærebat, quæ ſi non magna ſperaretur ampliùs, aut ſi ab alio facta eſſet malo medicina, facilè ſuos labores tenebris damnabat. Neque verò minor illi animus erat in eam quam vocabat Pſeudopolitiam, importunum, vt deſcribebat, eorum vitium, qui tum maximè benè abs ſe geſtam Rempublicam iactarent cùm maximè Eccleſiam depreſſiſſent, atque impugnaſſent. Cùm enim ab huius imperij conditu membrum Reipublicæ potiſſimũ fuerint viri Eccleſiaſtici, falſam immo pernicioſam aiebat oportere eſſe illam politiam, quæ inferiora membra cum ſuperiori committeret, & iſtius dignitatem ac magnitudinem illorum interpretaretur detrimentum; tamen nihil certius eſſe quàm in rectè conſtituto corpore membrorum ſingulorum dignitatem in omnia, & omnium in ſingula, redundare. Eſt enimuerò, aiebat, Reſpublica noſtra velut arbor pulcra ac procera, in qua ab

radice id eſt Rege, ſuccus omnis, & decor in ramos maximos iuxtà, ac minimos id eſt magnates Eccleſiaſticos, alióſque ac populos deriuentur. Quæ deriuatio ſi tam recto fiat ductu, vt per maiores ramos, quod opus eſt ſucci ad ſupremos ramuſculos perueniat, vt fit in arbore ritè mundata, perpetuus eſt in ea decor, & vigor. At ſi econtrà minores ramuſculi maioribus adnaſcantur in imo, eíſque ſuccum ſuum, ac decorem inuideant, ac ſubducant, nihil reliquum eſt, niſi vt maioribus ramis tabeſcentibus, minores ſimul exſiccati flammis adiudicentur, Porrò ſchiſmatis in Eccleſia molitores, quod tertiũ erat turbas cientium genus, eo inſectabatur vehementiùs, quo fraudes eorum tectæ magis ſunt, & ex improuiſo pernicioſæ. Deſcribam hoc loco epiſtolam hoc argumento ad Regem datam, poſtquam aula abiit, quam ſat ſcio anno CIƆIƆCXLII poſteriorem non fuiſſe, vt multa euincunt indicia, an autem prior multo fuerit non ſatis liquet. Ergo ſic ille Regem affatur.

DOMINE,

Abſtulit mihi quidem ætas robur, ne

Maiestati tuæ inter itinera præsto esse possim, sed voluntatem, atque obligationem, quibus potero modis obsequio tuo commodandi reliquit. Cuius rei cùm antehac se insignis occasio obtulerit, tamen in absentia longinquiore tua, & solicitudine, qua distineris bellorum, atque itinerum, retardanda mihi ad hanc diem est visa. Nunc verò eo, vt puto, loco res est posita, vt non subseruire Maiestati tuæ, quâ potero, magna mihi animæ noxa videatur. Paucis ergo capitibus, ac verbis suggero Maiestati tuæ ea, quæ & famæ tuæ inter homines, & saluti æternæ singulariter conducant apud Deum. Primum est vnitatem Religionis, vnicæ Ecclesiæ, eadem fide asserendam inter Christianos, qua Deus esse creditur vnus, qui veritatum, quas Ecclesiam doceri vult, & auctor est & fideiussor. Secundum. Hanc vnitatem ab annis aliquot in Regno hoc tuo discindi cœpisse tam multis artibus, tanta vi, tanto fauore quorundam etiam hominum Ecclesiasticorum, vt id neminem, nisi sponte sua excutierit, latere posse videatur. Tertium. Te vnum esse, qui huius mali proluuiem sistere, ac coërcere

poſſis, vnum te proinde à quo rationem Deus ſit repetiturus eius iacturæ animarum, quam Eccleſia ad nomen eius ſponſæ ſanguinis pretio eue&ta patietur. Eam porrò rationem eo fore ſeueriorem, quo minori negotio remediũ malo iſti poteſt afferri ſine labore, ſine ſumptu, ſine periculo, ſola nutus, voluntatíſque tuæ efficacitate. Hanc ſibi opem ſancta Eccleſia abs te, velut mater à primogenito filio, efflagitat. Deus verò qui pietatem tuam tam forti, inuictóque animi robore communiuit, vt hæreſin pedibus obtriueris, expectat vt eiſdem eius muneribus contra alterum Religionis aduerſarium vtaris, cui tanto vis eſt quàm hæreſi pernicioſior, quod malum eſt Eccleſiæ inteſtinũ, & mentito domeſtici nomine, eiſdem cum Eccleſia docet in cathedris, eadem ſacra exercet munia, eaſdem obtinet dignitates, denique communia habet omnia, præter vnitatem, ſine qua nec Religio vlla eſt, nec Eccleſia, nec ſalus. Erit igitur opus deuotionis tuæ numeris omnibus abſolutum, ſi id coneris præſtare glorioſiſſimè, quod Rex Propheta contra aduerſarios diuinæ gloriæ conteſtabatur. Perſequar & com-

prehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Hæc vota sunt ac preces ad Deum,

DOMINE,

Humillimi serui tui ac subditi
FRANCISCI Cardinalis
de la Rochefoucauld.

Hisce Franciscus scriptis ac dictis inquietas à Regno tēpestates publicæque salutis pericula affectu incredibili amoliri studebat. Huncin illo animū erga Regnū cùm argumentis pluribus deprehendisset, ac scilicet lōgè quàm ille sentiebat secus interpretatus esset iuuenis quispiā Episcopus, longam aliquādo apud eum instituit orationē vt suaderet dignitatis esse Episcoporum, vt se in regni administrationem immiscerent, tempora Caroli Magni, Ludouici Pij, Caroli Calui, quibus Episcopi ad omnia regni negotia adhibebantur, reuocarent, nemini in Regno nisi Regi subesse se paterentur, atque vt in diuinis suprema est ipsorum auctoritas, ita & in humanis quæ longè sunt minoris pretij, nulli esset post Regem secunda. Hæc & id genus alia cùm ille vna propè saliua declamasset, exce-

pit leniter Cardinalis. Magnanimos hos quidem eſſe ſpiritus, ſed in moderationis atque rationis gyrum reducendos. Quid enim, inquit, putas eſſe cauſæ cur nos in Epiſcopali conſecratione audiamus hæc verba à conſecratore: Vis ſemper diuinis eſſe negotiis mancipatus & à terrenis negotiis alienus? ſoleamúſque omnes reſpondere, Volo. Sanè cauſæ nihil eſt aliud, niſi quòd genera quædam ſunt negotiorum terrenorum, quibus nunquam benè conueniat cum diuinis, ſiue quia animum ad auaritiam ſordéſque deiiciunt, ſiue quia multis ac difficilibus actibus caſibúſque diſtendunt. Hæc ſi tu putas Epiſcopo ambienda, ſi in his primas poſt Regem obtinere Epiſcopi ſummum decus eſſe prædicas, egregiè tibi ipſe illudis, & quod te velle in conſecratione profeſſus eras, planè non vis. At ſi vel diuina puriſſimè abſque faſtu dominandíque ſtudio conſecteris, vel terrena ita diuinis negotiis implices, vt illa, niſi iſtorum gratia, nunquam ſuſcipias, tum ſanè & diuinis eris negotiis mancipatus, & à terrenis alienus. Curabis enim prouentus Epiſcopatus, ſed vt Deus colatur, & vt viuat

pauper; multum tibi auctoritatis parabis, sed vt schismaticum reprimas, hæreticum perdas; multum potestatis quęres, sed vt Ecclesiam protegas, vitia castiges, virtutem serues. Ita magnanimos hosce spiritus non terrenis, sed diuinis negotiis accommodabis, regnúmque vt Episcopo dignum est & amabis & iuuabis. Iam quanto Regem, virtutésque, ac salutem eius complecteretur affectu, perspicuè docent hæc verba ex libro pro Clero Galliæ vbi Ludouicum XIII sic alloquitur. Ortus, inquit ille, tuus in purpura Monarchiæ, quæ annos mille ducentos antiquitate superat, legitimum te Regem fecit, si quid iura naturæ, gentium, diuina, humana, & ratio ac consuetudo valere debent. Ac velut ingentes columnæ sua nituntur mole, faciúntque æqualiter vndique cadendo, ne cadant, ita hic ortus tuus nullo videri potest temporali sustentaculo indigere, sua stabilis maiestate. Hic ortus ex legitima veniens successione tot Regum, qui Ecclesiæ, ac sedi Pontificiæ plus soli contulere, quàm alij simul omnes, hæreditariam tibi Ecclesiæ, Religionis ac Pietatis omnis tutelam quæ-

ſiuit. Hic ortus in Regno nulli inferiore ſitu, cópia hominum, ac rerum neceſſariarum, multis verò ſuperiore nomen tibi maximi Regis donauit. At in eo ortu corpus nactus es à Deo robore firmum, exercitatione habile, viſu gratum, ingenium verò optimum, perſpicaciſſimum, prudentiſſimum, militaris tantæ ſcientię capax, quanta ne illis quidem qui longo in bellis exercitio, & experientia conſenuerunt; memoriæ tam firmæ & conſtantis, vt nihil illi excidat, ne militum quidem gregariorum nomina, qui aliquid rectè fecerint; animi ad pericula intrepidi, ad labores inuicti. Quæ omnia parare tibi poſſent Regni tam ingentis meritum, ſi ſucceſſio non dediſſet. Sed omnium horum vt puto caput, atque apex eſt conſcientia virtutis, boníque omnis diligentiſſima, atque retinentiſſima. Hæc planè ſunt quæ te annum vix ſecundum poſt viceſimum natum eò virtutis euexere, vt plus veræ Religioni ſtabilitatis, ac firmitatis in Regno tuo quæſieris, quàm ab hæreſum exortu deceſſores tui omnes afferre tentarint. Vt ſi Chriſtianiſſimi Regis nuncupationem tibi hæreditas non dediſ-

ſet, meritis, factiſque tuis abundè illam promeritus videare.

Capvt VII.

Nulla eum ſenectus aut morbus à tutela retardauit Religioſæ vitæ.

Lvctvosvs fuit Regno Galliæ
1643. annus CIↃIↃCXLIII, cùm Ludouici XIII in ipſa ætatis integritate acerbo funere eſt abreptus, & duobus ferè pòſt menſibus Cardinalis noſter ad ipſa mortis limina quodam quaſi apoplexeos genere ſubitò ictus peruenit; ſed Deo tum aliàs ſemper, tum hoc loco Eccleſiæ Gallicę beneuolentiſſimo, breui eſt ad ſanitatem ab eo morbo reuocatus. Non longum deinde fuit quod ille valetudini indulſit. Nam cùm in Religioſos homines, quos in fidē clientelámque ſuam omnes ſuſceperat, noui in dies excitarentur diuerſis partibus motus, ſuæ eſſe credidit ſolicitudinis, vt ne ſuo carerent præſidio. Itaque animo ad robuſtioris ætatis labores quodammodo reuocato, ad Reginam parentem Regis, cuius prouidentiæ Regnum ſuberat, molitus eſt diſſertationem, qua oſtenderet

inter reliquas Regni atque Ecclesiæ curas non vltimam illi Religiosorum Ordinum quietis, atque integritatis esse debere prouisionem, nec facilè aures præbendas hominibus quibusdam, qui vel imperitia, vel errore secus de illis sentirent. Ergo post breue procemium sic infit. Maiestas tua clarissimis beneuolentiæ suæ argumentis erga Religiosam professionem satis declarat non ignota sibi esse illius merita. Sed ad eorum vel instructionem, vel conuictionem, qui animo prauas de illa fouent persuasiones, dicendum mihi in primis video hoc genus vitæ non humanæ adinuentionis, immo ne Apostolicæ quidem institutionis esse, sed ad Christum ipsum auctorem, iuxtà ac totam Ecclesiam, esse referendum. Illius enim ex ore prodiit genus duplex instituti ad salutem conficiendam: alterum per obseruationem præceptorum, alterum per consiliorum susceptionem; vtrumque exprimunt verba illius ad iuuenem quendam quærentem quid boni faceret, vt æternam consequeretur vitam. Nam ad præcepta pertinent ista, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Ad cõsilia autem,

ista, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus. Ne omnia Cardinalis huc transferam extra lineas excurrens, summam tantùm eorum quæ sequuntur dabo. Pergit enim docere hæc Religiosæ vitæ primordia Christo deberi, ex S. Augustino Epist. LXXXIV ad Hilarium quæst. 4, & in Psalmum CXXXII, ex S. Bernardo sermone in illa verba, Si vis perfectus esse, ex Basilio Constit. cap. XIX. Addit eo, neminem iam olim vitæ Religiosæ aduersatum esse, quin ab Ecclesia pro hæretico, vel schismatico sit habitus. Ita S. Augustinum in Psalmum CXXXII Donatistas huius odij notasse, & libro de Moribus Ecclesię, Manichæos. At econtrà Principes quosque, vt maximè fuere Catholici, ita enixissimè complexos esse vitæ Religiosæ professores. Nam Cõstantinus, inquit, qui Ecclesiam in libertatem primus asseruit, in Antonio, vt scribit Athanasius, vitam illam est demiratus, ac veneratus, Theodosius Senior, in Ioanne Anachoreta, Theodosius Iunior, in Simeone Stylita, & inter Francos, Childebertus filius Clodouei in Monasterio S. Germani prope Parisios,

ac

ac Dagobertus in S. Dionysio, aliique Monasteriorum, quibus Abbates præessent, circiter octingentorum conditores in suis singuli. Subdit huic principum ac populorum venerationi, ac gratificationi cumulatè respondisse Religiosorum sanctitatem, & laborem. Itaque plures ex illis ad Episcopatum, immo & summum Pontificatum euectos innumeras Ecclesiæ opportunitates attulisse, Gregorium Magnũ Monachum per alios Monachos adiecisse Ecclesiæ Anglos, Innocentium tertium per Cistertienses hæreticis Albigensibus restitisse, superiore sæculo Americam, quæ est totius orbis pars quarta, alumnorum S. Dominici, Francisci & Ignatij laboribus ad Christum, & Ecclesiam accessisse, in Europa nostra hæreticos scriptis, concionibus, & disputationibus eorum repressos, ac profligatos fuisse. Sed illud maximè hoc sæculo eminuisse; quod iuuentutis institutio in probis moribus, & scientiis à Societatis IESV Religiosis magna industria est suscepta, ex quo sequuta est mira in omni genere hominum mutatio morum, scientiæ tota Europa insigne incrementum, nobilium in

primis virorum non vulgaris eruditio, in quo illustre sit quod Regij Francorum sanguinis Princeps Primus mirabilis vir ingenij, ac iudicij liberorum suorum maximum ei disciplinæ addictum voluerit, tam felici euentu, támque vberi fructu, vt quam aliis longorum tantùm annorum experientia, hanc illi eruditio breuissimo tempore scientiæ militaris perfectionem donarit. Quæ res illi suaserit vt secundum etiam natu filium Ecclesiasticæ vitæ candidatum in eandem traderet scholam, in qua ille tot edidit eruditionis specimina, vt in ea ætate prodigio res similis esse videatur. Postremò Missiones ad rusticos in agris erudiendos partem esse non minimam fructus Religiosorum hominum. Ab his enim primum inuectum hoc institutum, atque in posterum propagatum. Conclusio fuit, vt vitæ generi à Christo amato, & orto, nulli, nisi Ecclesiæ perduellibus exoso, Principibus tum aliis tum Francis acceptissimo, Ecclesiæ in omnes vtilitates opportunissimo, suppetias pro Regia supremáque potestate ferret, auctoritatem apud Pontificem interponeret suam, vt si quid alicubi labis, aut macu-

læ, pro humana infirmitate, professoribus eius vitæ adhæsisset, id eius decreto purgaretur, & quod pristino nitori restitutum esset conseruaretur, Deique nomen apud omnes sanctificaretur. Hinc Reginæ copiosam apud Religiosos omnes precum suffragationem, apud omnes homines immortalem laudum segetem, apud Deum æternæ vitæ meritum esse expectandum. Inter hæc maximo satagebat opere Cardinalis Romæ per amicos, vt quod postulabat à Regina Romano Pontifici non iniucundè accideret. Sed totum hunc apparatum mors Pontificis breui intercepit.

CAPVT VIII.

Grauissimo fuit ac peracri iudicio in virtute æstimanda.

AMABAT Religiosam vitam, vt qui maximè, sed causæ illi amandi erant virtutes, ex quibus status ille totus aptus est, & compactus si genus ipsum naturámque rei seorsim consideres. Sed quia quilibet eorum in quibus status ille conspicitur homo est, id est varium ac versipelle animal, incredibili

ſolertia ac ſagacitate moderabatur amori illi ſuo, ea quæ ſunt hominis diſcriminans ab iis, quæ ſunt ſtatus, & hunc ſemper in oculis ferens, illum ne fucum & ſtatui ſuo & ſibi faceret acutiſſimè peruidens. Quæ illi perſpicacitas non in Religioſis tantùm viris, ſed multo maximè in ſæcularibus, qui pietatis virtutíſque nomine celebrarentur, admodum fuit vſitata, ac propè quotidiana. Itaque dum reſtituendæ Ordinum quæ exoleuerat diſciplinæ operam dabat, ſi quem Religioſum ex iis, quos illi rei conficiendæ adhibebat, honoribus Ordinis inhiare, & reformationis obtentu ſuis commodis, aut ambitioni velificari ſenſerat, is nulla erat apud eum fide. Cuiuſmodi enim, inquiebat, Reformationis patronum eſſe illum par eſt credere, qui in reſtituenda obedientia præfecturam, in paupertate copias, in caſtitate delitias, aut commoda ſua meditetur. Hæc ille ſecretò & ſine nomine eſt aliquando apud quoſdam ratiocinatus. Nam nulla ei maior cautio in vita fuit, quàm ne ſuas de animæ cuiuſquam labe ſuſpiciones efferret. Vſque adeo enim id fugiebat, vt ſi quando aliquem, ex vulgatis

in vrbe rumoribus, recitasset, qui cum alicuius infamia, aut accusatione coniunctus esset, nullam animo immo nec corpore quietem caperet, donec eos accersisset omnes, qui id abs se verbi audierant, rogarétque ne suo dicto crederent, quod ex rumore populi, quo nihil incertius, profectum esset. Omnino verò cùm homo esset ad donandum egentibus non factus, sed natus, tamen si quid ab eo vir Religiosus priuatim sibi postulasset, sustinebat donandi procliuitatem, nec facilè adducebatur vt donaret, nisi vbi de necessitate liquidò constiterat. Ac tunc non ipsi Religioso, ne quid paupertas caperet detrimenti, sed Præposito domus rem mittebat, postulanti, si videretur reddendam. Tanta illi erat in vita etiam non religiosa purissimæ paupertatis perspicientia Memini magnam aliquando Parisiis annonæ fuisse difficultatem, qua factum vt Religiosi mendicantes ægerrimè victum possent conficere. Id vbi resciuit Cardinalis, seniores aliquot Ordinis cuiuspiam specie colloquij, aut consilij, crebrò ad se euocauit, & mensæ suæ, vt paulo meliùs, quàm domi haberentur, adhibuit. Sed

vt erat incredibilis in omnibus suis actibus circunspectionis, subiit illum aliquando cogitatio, an id satis esset Religiosæ communitati consentaneum, vt esurientibus aliis, meliùs alij haberentur, nec mora fuit, quin institutum mutaret, & omnibus in communi aliquid solatij prouideret. Venerabatur insigniter, quæ à summis Pontificibus in vnoquoque Ordine Religioso, vel instituta essent, vel probata, sed comparationes inter vnius Ordinis, & alterius perfectiones, non facilè coram se institui patiebatur. Ac semel ita de hac re differentem audiui. Quænam, inquit, esse possit perfectio in hac vita Religiosis maior, quàm charitas erga Deum? aut quid magis eam perfectionem participans, quàm virtutes, quæ tum aliis modis, tum amoliendo impedimenta, qualia sunt opum, voluptatum, ac voluntatis propriæ studia, charitatem aduehunt? At hæc omnia sunt omnibus Religiosis ex æquo proposita, nec aliud est inter eos discrimen nisi, si fortè, quorundam ad has virtutes instrumentorum, hîc parcitatis in victu, illic asperitatis in vestitu, alibi duritiæ in stratu, alibi silentij, alibi solitudinis,

alibi perpetuæ circa proximi ſalutem occupationis, & id genus. Quæ ſanè omnia cùm in externo ſita ſint opere perfectionem à virtutibus quibus ſubſeruiunt nanciſcuntur, cùm ergo hæ virtutes ſint omnibus communes, conſequens eſt vt vna ſit ac communis Religioſis omnibus propoſita perfectio, ac ſi quid eſt in inſtrumentis diſcriminis id ex effectu eſt æſtimandum, ad quem ſi æquè peruenitur per diuerſa inſtrumenta, nihil eſt quod quiſquam de ſuo potiùs inſtrumento gloriandum ſibi eſſe, quàm alius de ſuo cenſere debeat. Cæterùm viris etiam multis, qui expectationibus, ac cupiditatibus humanis deluſi, ſæcúlúmque pertæſi ſeipſos colligerent, & vitam Chriſtianis legibus moderari, atque ad ſalutem æternam attentiores eſſe inciperent, perfugium communiſſimum erat atque oraculum Cardinalis. Rari enim ex eiuſcemodi ſæculi fluctibus enatabant, qui amicitias cum illo contrahere, & de vita in poſterum meliùs conſtituenda ſermonem cum eo conſerere non gauderent. Excipiebat omnes humaniſſimè ac cupidiſſimè, & purgata diligentiſſimè vita priore, ſuadebat vt affe-

ctus erga res perituras ſtirpitus ab animo conarentur euellere, certi virtutis, ac rerum æternarum ſtudium ſine labore animos occupaturum, qui terrena illa ſpineta ſemel abs ſe extirpaſſent. Itaque multa illos induſtria pelliciebat ad ſubleuandam pauperum miſeriam iis, quæ cuique ſupererant facultatibus, atque hac quaſi reliqua è naufragio tabula ad ſalutis portum appellendum. Et valuerat eius apud aliquos auctoritas, meminíque inſolita eum lætitia quandoque inceſſiſſe cùm quatuor, aut quinque huiuſmodi homines vna illum die conueniſſent. Aiebat enim, Ego mihi in cœlo iam eſſe videor, cùm hos homines tam generosè in cœlum è terra nitentes conſpicio.

CAPVT IX.

Diſceptat ſcripto pro Eccleſiæ integritate ac puritate.

SANE cœlo iam illum admouebant, non iſtæ tantùm cogitationes, ſed multo maximè annorũ, morborúmque
1644. numerus. Nã anno Chriſti CIↃIↃCXLIV,

qui ætatis eius erat octogesimus sextus, cùm surdaster nonnihil ante annos aliquot esse cœpisset, multo obtusiùs audiit, & grauitate, tarditatéque corporis maiore laborauit. Quæ tamen impedimento non fuere, quin vbi se aliquis propugnandæ Ecclesiæ, diuinæque augendæ gloriæ campus aperuit, non illò promptus accurrerit, & hebescente in corpore sanguine, animi sensus omnes, eatenus sanè integerrimos, non agitarit. Nam cùm tunc primùm institutum fuisset inter viros doctos examen libri cuiusdam frequenti sacræ Eucharistiæ Communioni aduersantis, atque in illo multa doctrinæ capita vocari meritò in censuram posse viderentur, vnum Cardinali sua cum primis ira ac confutatione dignum est visum. Quòd is liber claris ac crebrò iteratis verbis assereret Ecclesiam hodiernam velut turbatũ post originem riuulum fluere lutulentam, vtpote in moribus passam corruptelę plurimum & maximè in dispositionibus ad Eucharistiã participandam. Contra id caput quod Ecclesiæ maiestatem insigniter læderet, pugnandum sibi vsque ad extremum spiritum, pro Cardinalis munere, est arbi-

tratus. Itaque litteras orſus eſt ſcribere ad Reginam, quarum hoc fuit initium.

Quam hodie patitur Eccleſia Dei, vt vocat Paulus, auxilij ac defenſionis neceſſitatem ab iis maximè, quibus eam ſupremus Dominus tam enixè, tantíſque cum argumentis amoris commendauit, ea ab imbecillitate hac mea, pluribus ex cauſis maximâ, duplex exigere videtur officium. Alterum vt Maieſtati tuæ dignitatem Eccleſiæ ſub oculos ponam; alterum vt in mentem tibi reuocem, quantum expectare Eccleſia opis debeat ab ea auctoritate, ac poteſtate, quam communis tuus, atque illius Dominus tua in manu poſuit eo tempore, quo de honore, integritate ac fidelitate illius controuerſia excitatur, quæ pluribus ſcripturæ locis nominatur domus eius, amica eius, pulcra eius, electa eius, atque vno verbo ſponſa eius, non alio ab ipſo comparata pretio quàm ſanguinis ſui. Porro neceſſitas auxilij quam dixi liquidò apparet ex nuper edito libro, cui titulus factus eſt, De Frequēti Communione. Qui liber duabus ſummatim actionibus conſtat, altera in Euchariſtiæ communionem, cuius frequentationem

reprehendit, altera in Ecclesiam præsentem, quam corruptelæ in moribus damnat. Ne longum opus verbatim hîc describam. Addit post non multa, vtramque hanc actionem indicari his libri illius verbis pag. 627. & sequenti. Hîc, inquit, mos (frequentandi Eucharistiam statim à confessione) est fortè hodie omnium communissimus, quia impœnitentiæ omnium hominum fauet. Volunt enim omnes confiteri, pœnitentiam agere nemo vult, sed nec solus est, nec omnium præstantissimus, nec maximè consentaneus antiquitati, ac doctrinæ successiuæ Ecclesiæ, quæ nota illius est vna è præcipuis, cùm non sit inuectus nisi per indulgentiam & conniuentiam Ecclesię, quam alibi vocat relaxationem & corruptelam. Contra hæc vbi obiter dixit nonnulla; de frequentatione Eucharistiæ, totus incumbit in Ecclesiæ hodiernæ defensionem. Ac postquam Lectori memoriam refricauit eorum, quæ olim scripserat in libro pro Clero Gallicano, de quibusdam ingeniis schisma iam tum in Ecclesia parturientibus, atque addidisset ex hoc libro satis elucescere, quàm non falsus vates fuisset, sic

aduersarium premit. Tu certè, inquit, cùm Ecclesiam nominas aliam non intelligis nisi Catholicam, cui soli conuenit illa quam memoras nota antiquitatis & successiuæ doctrinæ. Hanc verò inde à primo æuo vsque ad hanc diem vnum cœtum esse fidelium omnium sub pastore vno Christo eiúsque Vicario negare non potes, cùm verba illa Concilij Constantinopolitani toties recites in Symbolo & publicè in Ecclesia audias. Vnam sanctam Catholicam & Apostolicā Ecclesiam. Quid ergo tibi venit in mentem vt Ecclesiam hodiernam ab antiqua seiungeres, quatuor sæculis crebrò circumscriberes, aceruum auctorum, atque auctoritatum veteris Ecclesiæ, vanum scilicet ac futilem contra hodiernam congereres, & indulgentiam illi, relaxationem, atque impuritatem morum impingeres? Non enim Ecclesia hodierna indulsit, relaxauit, & impuritatem quam fingis admisit, nisi eius fuerit sententiæ hæc omnia abs se salutariter & rectè fieri posse. Nam successiua doctrina & antiquitas quas tu illi non negas, & sanctitas quam illi symbolum tribuit, non patiuntur vt aliquid contra salutem & rectitu-

dinem putarit faciendum. Ergo vel Ecclesia hodierna vna non est vniúsque cum antiqua sententiæ ac sanctitatis, vel quod illa hoc tempore faciendum censuit id etiam de veteris Ecclesiæ sensu semper fuit. At enim, inquis, mutauit multa hodie in moribus Ecclesia pro temporis necessitate. Omnino. Sed hanc mutationem ea necessitate incidente non hodierna tantùm, sed quæ etiam inde à Christo fuit semper faciendam censuit. Ita nulla vnquam fuit etiam in moribus sanciendis diuersitas sensus inter veterem, vt tu diuidis, hodiernámque Ecclesiam. Quod enim plenis buccis declamas certum esse apud omnes Ecclesiam in moribus errare posse, id apud neminem certum est nisi apud manifestos hæreticos. Catholica Ecclesia quæ notam habeat antiquitatis & successionis doctrinæ quã tu Ecclesiæ tuæ indulgenti, relaxanti, atque impuræ non negas, errare in moribus planè non potest. Cedo enim, cùm Paulus diceret Ecclesiam Dei esse columnam & firmamentum veritatis, de qua veritate loquebatur, morum an dogmatum? planè de veritate morum. Quid enim præ-

1. Timoth. 3.

miſerat? Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. Et mox. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos. Et mox. Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias. Atque extremò. Hæc inquit tibi ſcribo ſperans me ad te venire citò, ſi autem tardauero, vt ſcias quomodo te oporteat in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui columna & firmamentum veritatis. Sanè in his omnibus propter quæ hoc Eccleſiæ Elogium tribuit, nihil eſt quod ad mores non pertineat. Iam cùm Apoſtoli & alij Eccleſiam totam repræſentantes dixerunt, Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, quęnam inter illos agitabatur quæſtio, de dogmatis an de moribus? Certè de moribus. Nihil vltra inquiunt imponere vobis oneris, niſi hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. I nunc & aude dicere columnam veritatis & Spiritum ſanctum errare poſſe, ſi vis nobis perſuadere Eccleſiam in moribus errare poſſe. Sed tu perquàm lepidè id conaris probare. Dixit, inquis, Chriſtus Matth. xxiv, Refrigeſcet charitas

Act. 15.

multorum. Ergo Ecclesia potest errare in moribus. Quæso an illi multi de quibus loquitur Christus sunt Ecclesia Catholica: si asseris, vnde id probas, si negas cur inde conficis Ecclesiam posse errare in moribus. Sed tu id omnino negas propositi immemor, addens post pauca particulares fore quosdam vitiis deditos. Rectè sanè, quia vitia nunquam esse possunt totius Ecclesiæ, alioqui sancta esse desineret, sed personarum singularium sunt conditiones. Ridiculum porro est Ecclesiæ Catholicæ errorem in moribus attribuere, quia vnus aliquis, aut multi ex Ecclesia possunt in moribus errare. Si enim ciuitati furta, homicidia, periuria singulorum ciuium non ascribuntur, cur tu Ecclesiæ errorem singulorum, qui in ea errant in moribus, audes impingere? Sic ferè stringit auctorem illum Cardinalis, multáque adiicit ex scripturis, Patribus, ac ratiocinatione, quibus conficiat non solùm falli Ecclesiam in moribus non posse, sed etiam dignitatem eius ac maiestatem, quæ maxima est, his ac similibus vocibus impiè violari. Vtinam non mansisset opus hoc morte eius imperfectum atque multis

locis parum ordinatum, haberemus planè, quo multorum mentes ſanari poſſent. Sed immortuus eſt tanto labori Cardinalis, cuius adeo illi cogitationes adhæſerant, vt altero ante mortem die cùm vis morbi nonnihil remiſiſſet ſubitò in has voces eruperit: Omnino ſenſum Antonij de Dominis, ſequitur auctor qui frequenti communioni eſt aduerſatus.

CAPVT X.

Domeſticis proſpicit, & Præfectura S. Genoueſæ cedit.

INTEREA quaſi arcanus quidam monitor aurem illi velleret dicẽs, Diſpone domui tuæ quia morieris, ſolicitus de domeſticorum poſt mortem ſuam ſtatu exeunte anno CIƆIƆCXLIV teſtamẽtum vltimò condidit, in quo cùm multos haberet domeſticos annis atque obſequiis longæuos, multos annorũ non pluriũ, neque vllis dum vita ſuppeditauit ſtipendia annua deeſſe paſſus eſſet, tum hoc tẽpore cùm vitam ſibi breui deponendam præſagiret inſignem in omnes extra ordinem beneficentiam exercuit. Sanè ſi quan-

quando factum eſt, vt extremis hiſce, ac difficilibus annis aliquando factum, vt pecuniam domi ingentes eleemoſynæ, quas nunquam intermiſit, exhauſiſſent, nulla illi quies fuit donec pecuniam alicunde confeciſſet ad eam, quæ ſtipendiis domeſticorum repræſentandis præſtituta erat dies. Nec minor illi cura erat, ne vllum vnquam æs alienum contraheret. Nam menſibus propè ſingulis, cum iis, qui alimenta, & annonam domui ſuæ ſuppeditarent, rationes poni iubebat, vt ne quis ad ipſius mortem, aut ſua tardiùs reciperet, aut iacturam ſentiret. Fuit verò domi eius inauditum, vt morantem in manibus eius mercedem mercenarius bis repeteret. Hóc facilior illi fuit hoc tempore teſtamenti factio, in qua nihil ferè eſſet, quod cuiquam reddere teneretur, omnia quæ de nouo donaret, cauit nihilo ſeciùs diligentiſſimè, vt ſi quid alicunde alieni æris emergeret, id primo loco, de iis quæ ſibi ſupererant, exſolueretur ſine mora. Sed intereſt teſtamentum eius pietate ac timore Dei pleniſſimum & ab omni vanitate alieniſſimum, quod ante annos duodecim die Maij viceſima hac

de re condiderat, recitare. In nomine inquit ſanctiſſimæ Trinitatis Patris Filij & Spiritus ſancti Dei vnius. Ego Franciſcus Cardinalis de la Rochefoucauld hoc teſtamentum facio. Cuius initium eſto veniæ omnium peccatorum meorum à ſuprema eius maieſtate ex intima animi ſententia per Ieſu Chriſti merita poſtulatio, tum inuocatio ſubſidij atque interceſſionis ſanctiſſimæ Virginis Matris, Sancti Michaëlis & Sancti Angeli cuſtodis noſtri, atque aliorum cœli ciuium, vt nobis præſto ſint ad vitam iſtam cum futura in Dei gratia commutandam. Volumus igitur, vt corpus noſtrum poſt mortem diſſecetur, & Cor noſtrum Reuerendis Patribus Societatis IESV Collegij Claromontani Pariſiis tribuatur, cùm id ipſi à nobis poſtularint, & nobis viſum ſit felix ac fortunatum, vt ſancta hæc Societas monumentum hoc haberet noſtri, quo preces ac ſacrificia ſua animæ noſtræ impendere moneretur. Corpus noſtrum reliquum condetur ſepulcro, quod extruximus in Crypta quæ iam olim ſepulcrum S. Genoueſæ habet, ante altare S. Ioanni Baptiſtæ ſacrum, ea tantùm ſolemnitate,

quæ teſtamenti huiuſce executoribus viſa fuerit opportuna. Poſt deceſſum noſtrum volumus vt quidquid erit apud nos æris alieni puncto temporis exſoluatur, Domeſticorum noſtrorum ſtipendia vſque ad Chriſti natale vel S. Ioannis Baptiſtæ quod mortem noſtram excipiet numerentur. Pediſſequi aliique pueri, qui ſtipendia non merent, opificij cuiuſpiam tyrocinio noſtris ſumptibus tradantur, aut centenis aureis donentur ſinguli pro executorum arbitrio. Hæc ferè ille in Domeſticorum gratiam conſtituerat anno CIƆIƆCXXXII, ſed longè prolixiùs eis proſpexit eo quē ſuprà dixi anno. Non eſt operæ pretium per ſingulos ire, ſed illud conſtat librarum quinquaginta circiter millia illis præter annua ſtipendia attributa. Verſabat iampridem aliam curam ſub pectore de Præfectura Monaſterij S. Genouefæ in manum Canonicorum Regularium dum ſuperſtes eſſet transferenda. Etſi enim Pontificio olim diplomate ei rei ſatis cautum videri poſſet, tamen ſuggerentibus Iuriſconſultis quibuſdam multo Canonicos meliore ac tutiore loco futuros, ſi præfectura viuens abiret, egit apud

Reginam enixè, vt id ſibi bona eius venia licitum eſſet, nec qua erat apud illam gratia difficilè impetrauit. Ceſſit deinde Præfectura nonnullis conditionibus coram Pontifice, iiſque illam in Canonicos tranſtulit. Erat ergo miraculo non paucis Cardinalis qui vt diuinam augeret gloriam adeò ſe omnibus in vita nudaſſet bonis, vt in alieno reliquum vitæ degere, atque in alieno emori non dubitaret. Ita ille parciſſimus in ſeipſum, largiſſimus in alios in morte erat & vita. Suprema ſanè illi largitas fuit eorum omnium quæ exſolutis legatis in bonis eius mobilibus ſupereſſent, inter Noſodochium inſanabilium & Collegium Claromontanũ diſpenſatio.

CAPVT XI.

Magna animi præparatione vita decedit.

1645. VLTIMVM vidit annũ CIƆIƆCXLV Chriſti, ſuum verò LXXXVII à menſe Decembri inchoatum. Cuius anni an aliqua illi ineſſet diuina in animo præſagitio non ſatis mihi liquet. Etſi

enim ea quæ ad conſcientiæ ſecurum ſtatum pertinerent perſpectiſſima eſſe volebat iis, quorum hac in re vtebatur cōſilio, tamen virtutes, ac multò magis collatas à Deo gratias mirificè tota vita occultas habuit. Nihilominùs ita ſe in animo ad mortem parando atque cōponendo geſſit, vt ſi aperta præmonitio defuit, certè peculiaris illi Dei gubernatio adfuiſſe videatur. Nam in primis cùm ab annis circiter viginti tribus in omnes prioris vitæ actiones cenſoria ſeueritate cœpiſſet inquirere, ac vbi vel tenuiſſima peccati vmbra apparuerat, de iis quos habebat in conſcientiæ conſilio ſcripto quærere ſolitus fuiſſet, quid ea in re iuris eſſet, aut iniuriæ, innumera illi erant in ſcrinio illorum reſponſa, quæ ille omnia tribus ferè ante mortem mēſibus recognoſcenda ſuſcepit, vt vel quietem animo caperet, ſi nihil noxæ eſſet, vel remedium ante mortem afferret, ſi quid eo hactenus indiguiſſet. Ergo accuratum quæſtionum illarum omnium indicem vbi contexuiſſet, conſilium accerſiit, & ſua rurſum reſponſa expendere, quod minus dictum adiicere, quod obſcurè ſcriptum explicare iuſſit, omnibúſque

quacunque opus fuit tanta prouidentia ſatisfecit, vt animum in ſereniſſimam deinceps tranquillitatem conferret. Poſthæc cùm Illuſtriſſimus Pontificis Maximi Nuncius Marchio Bagnius Iubilæum ab Innocentio X orbi conceſſum illi attuliſſet, ac fama ferret illius promulgationem ab Illuſtriſſimo Pariſienſi Archiepiſcopo in Quadrageſimam, vt populo commodaretur, reiiciendam, ille ſe eò peruenturum negauit, conſiliúmque iniit breuiorem ſibi diem ab Archiepiſcopo poſtulandi, quo Iubilei legibus ſuo commodo ſatisfaceret. Annuit Archiepiſcopus poſtulatis, arbitrióque eius, ac poteſtati permiſit omnia. Cæterùm, vt mos eſt virorum ſanctorum, ſemper in vita mortem reſpicere, ita ille tota vita egerat vt quidquid erat benè morienti commodum haberet longè antè repoſitum, ac præparatum. Tria igitur cùm eſſent, propter quæ ille ſibi extremo vitæ articulo turbas à Dæmone malè ſemper metuerat. Recitatio Eccleſiaſtici officij, Bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatio, & occulta, ſi fortè aliqua Eccleſiæ cenſura, aut pœna, dederat operam ante annos plu-

res, vt Pater Stephanus Charletus Generali Præposito Societatis IESV pro Francis Sociis Assistens, summum Pontificem suo nomine rogaret, vt quidquid recitationis illius aut dispensationis causa abs se Ecclesiæ deberi contingeret, id liberaliter condonaret, censuráque se omni, & pœna si qua teneretur eximeret. Indulserat Pontifex prolixè omnia, addiderátque se præterea concedere omnia quæ ad quietem pacémque animæ eius conducere atque abs se pendere possent. Confessus ergo non sigillatim omnia vitæ peccata, quæ creberrimè antè confessus erat, quòd id non probassent, qui consilio illi aderant, sed summa peccatorum præteritorum capita, atque omnia quæ ab vltima confessione se admisisse meminerat, indulgentia non solùm Iubilæi, sed etiam peculiari illa, quam dixi, Pontificia, vsus magnam deinceps animo quietem percepit. Communicauit diebus singulis dum expectatur Dominica, quam Iubilæi leges condixerant, sed Sabbatho ante eam Dominicam leuis eum tentauit febricula, ex qua cùm sequuta esset subita sensuum animæque defectio, iudicatum

eſt die Dominica communicandam illi Euchariſtiam non ſolùm pro Iubilæi clauſula, ſed etiam pro extremo profectionis ad cœlum viatico. Vixit duos poſtea dies labentibus ſenſim viribus, ſed Dei Sanctorúmque memoria non elabente, roſaria & coronas Beatæ Virginis prehendebat digitis vehementer, precari conabatur continenter, & indulgentia, quæ ſacratis à Pontifice numiſmatis attributa eſſet, ſtudiosè frui. Mortem timuerat vt qui maximè dum ſanus erat, non mortis, ſed eorum, quæ mortem excipiunt periculum reputans, tamen paucis ante mortem diebus de ſecando corpore, de extrahendo corde, de ſacro crucis Chriſti ligno, quod auro cluſum de collo ſemper ſuſpendere enixè amarat, nepti ſuæ Illuſtriſſimæ Marchioniſſæ de Seneceio poſt mortem donando, ita loquebatur, ac ſi nihil ad illum mors ea attineret. Poſtremus illi fuit dies Martis XIV Februarij, quem ita tranſegit, vt horas ante meridiem precibus, quas dixi plurimum impenderet, Domeſticis ac notis qui confertim accurrebant, ſibíque illum benè precari poſcebant, benedictionem impartire-

tur, Congregationi Canonicorum S. Auguſtini, quam condiderat, & Collegio Claromontano totique Societati IESV, quam conſtanter dilexerat, diuinos perpetuò fauores imploraret. Lacrymis liqueſcebamus omnes, ſed ille ex interuallo ad coronas digitis euoluendas ſalutandámque Virginem reuertebat. A meridie adfuit Illuſtriſſima cordatiſſimáque fœmina Maria Catharina de la Rochefoucauld ex fratre maiore natu Randani Comite, Cardinalis neptis, cuius curæ eſt, quod habet Gallia pretioſiſſimũ Ludouicus XIV Rex Francorum in hac ætate tenera, totáque Matris Reginæ Auguſtiſſimæ familia. Sequutus eſt haud longè poſtea vir Illuſtriſſimus Franciſcus Dux de la Rochefoucauld Pictauorum Prorex, longáque Comitum & Marchionum series quibus nobiliſſima gens abundat. Interuenit iſtis Nuncius Pontificius, qui audiens Cardinalem multis benè precatum optauit ipſe quoque ſibi eaſdem preces. Sed negante Cardinale id ſe facturum, niſi ipſe priùs Pontificis, cuius perſonam gereret, nomine ſibi eſſet benè precatus. Fecit Nuncius quod pe-

tebatur, & caput illico ſuum Cardinali cruce conſignandum ſummiſit. Idem factum ab Epiſcopo Lemouicenſi qui aderat. Extemplo orſus eſt Nuncius Commendationes morientium aliáſque precationes. Inter quas cùm nouiſſima hæc verba ex ore Cardinalis audita eſſent, In te Domine ſperaui non confundar in æternum, ad horam circiter quintam à meridie aurium illi atque oculorum ſenſus eſt extinctus. Vixit nihilominùs ad nonam & dimidiam, qua piiſſimam animam ea, qua vixerat tranquillitate efflauit. Accurrere qui aderant & exoſculatis manibus pleni lacrymarum atque optimæ de ſalute eius opinionis diſceſſere.

CAPVT XII.

Corporis eius forma ac compoſitio.

DIE poſtero eadem qua extremum vixerat hora, prout ipſe viuens ſtatuerat, apertum eſt corpori ferro pectus, vt cor educeretur Collegio Societatis IESV Claromontano donandum. Patuerunt inteſtina tantæ omnia ſanitatis,

atque integritatis, vt ſatis conſtaret non tam morbo, quàm refrigerato ſenectute corporis calore vitam extinctam, meliùs dixerim ſubuectam innumeris meritorum pennis animam in cœlũ ſubducto, quem gignebat calore, euolaſſe. Cæterùm corporis illi forma fuit inter huius æui inſignes nobiliſſima. Statura ſex pedibus Romanis proxima, membrorum omnium magnitudo ad eam ſtaturam dignitatémque omnem appoſita. Facies cum primis maieſtate plena, capillus in iuuentute flauus, in ſenectute ex flauo leuiter caneſcens, frons ampla, oculi cæſij, ac venuſta, vt plurimum, hilaritate pleni, naſus paulo iuſto breuior, & continuo à fronte ad imum tramite quaſi exaratus, reliqua facies latiuſcula, & oblonga, barba nec admodum denſa, nec promiſſa, color toto vultu admodum candens ex rubro nonnihil efflore-ſcente, licèt ex his nonnulla ſenectus extrema aliquantulum immutarit. Firmo fuit iuuenis robore corporis, & ſanitate conſtanti, quibus ille optimè vſus dura quæque & aſpera pietatis exercitamenta eſt amplexus, quibus ſenſuum voluptates retundi, ſeruitióque corporis, ani-

mi imperium augeri posset. Extat adhuc Billomi Aruernorum in Collegio nostro Commentarius scriptus manu P. Theofredi Mallaurei, qui ante viginti annos vita cessit quinquennio maior nonagenario. Is verba habet huc attinentia, quæ bona fide ex Gallico sic reddo. Franciscus Cardinalis de la Rochefoucauld vestigia vbique relinquit impressa beneficentiæ, & virtutum suarum, quæ post eius fata literis mandabuntur in Episcoporum, qui ipsum excipient exemplum. Est enim velut alter Carolus Borromæus, cuius actiones benefaciendo omnibus, munúsque optimè suum fungendo imitatione conatur repræsentare. Boni Episcopi conditiones habet quas Paulus memorat, irreprehēsibilis, sobrius, castus. Sobrius videlicet tum ob quotidianam mensæ frugalitatem, tum ob ieiunia, quæ ita claudit omnia; vt ad panis frustulum, vnicum vini calicem addat, porro extra Pascha toto anno sextis feriis ieiunabat cùm hîc degeret, Quadragesima item integra, quatuor temporibus & festorum peruigiliis. Cùm quis nobilium mensæ eius interesset disertè illi demonstrabat non sui tantùm esse

officij ieiunium, ſed omnium qui letalem Dei auerſarentur offenſionem. Itaque multis auctor fuit, vt & ieiunarent ipſi, & à familia ſua idipſum exigerent. Eſt præterea prudens, ſapiens, modeſtus & caſtus. Cùm enim domi eius eſſem aliquando Billomi optauit mater eius fœmina ſanctiſſima, vt ab eo peterem ne ægrè ferret ſi neptem ſuam (ea eſt hodie Marchioniſſa de Seneceio) ad ſe mater accerſeret, vt in Epiſcopi domo, quam incolebat ſub eius oculis educaretur. Reſpondit Epiſcopus de nepte quidem ſua placere maximè; ſed quia eam affectabatur nobilis alia iuuencula id ſe ferre non poſſe. Itaque relicturum ſe potiùs matri ædes ſuas, & aliò migraturum, quàm vt eiſdem in ædibus cum muliere eius ætatis habitaret. Amplexata eſt filij virtutem mater, & nepti vetulam cuſtodem attribuit vt illam ſecum haberet. Sic ille corporis, ætatíſque robur, ac vigorem non tantùm interiùs ieiunio minuebat, ſed etiam exteriùs contra omne periculoſi conſortij lenocinium muniebat. Nec hoc gradu ſiſtebat eius rigor. Nam extrema quoque ætate in ſecreta eius ſuppellectile

repertæ sunt zonæ cilicinæ quibus lumbos iuuenis macerabat. Lecti omni æuo inimicissimus fuit, milléque artibus mollitiem eius emendauit, nunc durissimum stratum tenui tegens stragulo, nunc submoto strato spondæ incumbens, nunc aliud quidpiam machinans, quo corpori malè esset. Sanè vsque ad extremam senectutem strato incubuit multas in partes diuiso, cuius rei causa hactenus, vt puto, excogitari alia non potuit nisi vt singulas partes faciliùs cùm libitum esset solus amoueret aut restitueret. Nunquam toto corpore dormiens iacuit, sed semper sedens, non tantùm cum subrepente somno in sella interdiu conniuebat, sed etiam noctu lectum habuit ita compositum, vt nec in latus alterum, nec pronus, nec supinus, sed dorso ac collo puluillis subnixo sedens dormiret. His ille inuentis dum castitati seruiret corpus fatigauit vsque adeò, vt heroïca illa magnitudo, ac robur corporis, accessu grandioris ætatis incurua debilitate mutaretur.

Capvt XIII.

Animi eius vis ac virtus.

LACESSENDI defendendíque in primis conſtantia, vt fert communis hominum ſenſus, vis animi virtúſque declaratur. Hæc conſtantia tam fuit in Cardinali certa ac conteſtata, vt nihil in eo magis vel mali odiſſent, vel boni admirarentur. Laceſſendos ſemel ſuſcepit hæreticos, ſchiſmaticos, Eccleſiæ contemptores, Pontificum aduerſarios, & ab eo tempore quo Epiſcopatum ſuſcepit, vſque ad extremam vitæ periodum, pugna illi cum iſtis ſine miſſione fuit. Defendendam ſibi meritò cenſuit fidem Catholicam, Eccleſiam, eiúſque caput, vitam Religioſam, pauperũ miſeriã, ac ſolitudinem, & omnia ſtudia ſua, vigilias, auctoritatem, facultates, eo impendere non ceſſauit. Sanè quòd noui quidpiam in Eccleſia moliẽtes quieſcere nuſquam pateretur, virulentas eorũ linguas non effugit. Alij enim quòd integritatem animi morúmque ſanctitatem accuſare contra omnium hominum ſen-

ſum non auderent, debilitatum ætate animum cauſabantur. Alij obnoxij hominem ingenij, qui nihil abs ſeipſo auderet loqui, vel ſcribere, ſed omni in re ab alieno penderet iudicio inſimulabant. Infelicia mendacia! Si enim ita animum illi debilitarat ætas, vt nouitates inquietorum hominum non ſatis acutè perſpiceret, an triceſimo circiter ætatis anno, cùm libros adhúc Epiſcopus contra Nouatores ſcriberet, debilitatus erat ætate, an viginti ante mortem annis cùm Vindicias pro Clero Gallicano edidit, & ſchiſmatis in Regno ſemina prodidit, atque extirpare eſt conatus, ingenio non valebat? Vbi tunc erant hæc perſpicacia ingenia, iſti Auguſtini & veterum Patrum helluones, cur mutire tunc non ſunt auſi? Cur eius doctrinæ, atque auctoritati, vel vnum ex antiquis Patribus, quem opponerent non habuerunt? Sed erat, inquiunt, obnoxij ingenij nihil abs ſe auſus promere & alieno obſequens iudicio. Sanè. Nam, ne ſibi iſti nimium blandiantur, hanc accuſationem non refugiebat Cardinalis, gnarus hanc eſſe maximam Catholici hominis laudem, ſentire quod alij, & ab

ab Ecclesiæ iudicio suspensum viuere, eos autem qui priuato stare volunt iudicio, & sibi sapere soli vanitatis, erroris, ac stultitiæ plenissimos esse. Caluinianum scilicet aiebat esse de suo tantùm sapere, & alieno spiritui ac sensui nihil tribuere. Cæterùm potéstne vlla esse maior vis animi, quàm vt suos quisque sensus, eo maximè blandientes ac fallentes, quòd sui sunt, exilire præcipitatò non sinat, sed alieno, ac non adulanti examini antè submittat? Nam quod dicant eum seruiliter tantùm ex alienis dictatis sapuisse, vrgebunt eos omnium hominum conuicia ac ludibria qui Cardinalem in Consilio Regio, in quotidiano congressu, in improuisis externorum hominum visitationibus audierunt. Grauis enim erat circumspecta ac profunda eius oratio ac cogitatio, vt vel isti ipsi qui illum ad magistros mittunt si adfuissent multa quæ ab illo discerent habituri essent. Omnino verò nulla res magis docet quanta illi vis esset animi, quàm copia illa quam sibi congesserat rationum optimarũ, quibus vel scribere vel disserere cum hisce Nouatoribus vsque ad vitę extremum potuit. Nam constantia tu-

tandi vel Ecclesiam, vel Pontificem, vel perpetuos clientes suos pauperes tam multa suggerit magni eius animi argumenta, vt si vel illa tantùm, quæ hisce libris inspersi velim per indicem hoc loco excerpere, nimis sim longus. Illud puto de pauperum tutela à me antehac non est commemoratum, quod ad extrema ac sanè difficilia tempora quibus bellorum crebritas, ac diuturnitas & pauperes augebat quotidie & priuatorum facultates minuebat, ab eo est excogitatum. Vidi enim cùm emere quidpiam vellet in suum vel familiæ commodum multas eum vnius generis sibi merces afferri voluisse, ac eas quæ vilissimo stabant pretio solas emisse, vt aliquid hac quasi negotiatione lucraretur, quod in pauperum cederet sustentationem. Sed nemo vt opinor fuerit cui id quod addo non omnium generosissimum in homine literato videatur. Bibliothecam inde à prima iuuentute & peregrinatione Italica collegerat non solùm copiosam, sed etiam libris scriptis manu ac typis antehac non editis, quos illi Curterius vt initio dixi vir peritissimus selegerat, instructissimam. Erant in illis Græci plures

notæ non vulgaris, & Cardinali eorum lingua inde ab adoleſcentia non parum erat perſpecta. Tamen ætate iam prouecta cùm ſecum aliquando eſſet ratiocinatus quàm ingens in eos libros pecuniæ Eccleſiaſticæ ſumma abiiſſet, quámque nulla iam apud ſe neceſſitate aut vtilitate morarentur, cùm tot alioquin egenorum agmina ſibi ad fores iacerent quorum fames hac pecunia ſubleuari poſſet, conſilium iniit Bibliothecam diſtrahendi, & nullis econtrà ſuaſionibus dimoueri potuit quin id breui perficeret. Atque vt antiquorum Patrum quendam memorant dum argueretur quòd librum Euangelij quem habebat vnicum vendidiſſet, vt pretium in pauperes diuideret, hac vna ſe defenſione tutatum. Ego illum vendidi qui mihi dicebat quotidie, Vende quæ habes & da pauperibus. Ita Cardinalis ſic ſe aliquando defendit: Ego libros antiquos vendidi vt antiquiſſimum, perituros vt immortalem, mortuos vt librum vitæ ſempiternæ mercari poſſem. Iam illud quoque magnum erat vigentis animi argumētum, quòd niſi cùm benefaciebat, in omnibus alicuius momenti negotiis

ante omnia ſanitatem iudicij pulſis procul affectibus quæreret, tum idem negotium ſæpiùs ad examen vocaret, neque vnquam præcipitatò definiret. Infinitus ſim ſi recenſere velim quàm ille crebrò hac affectuum libertate, & lento negotiorum examine plurima peruiderit, quæ alius nemo eodem negotio pertractato, erat vel tenuiter ſuſpicatus. Vnum inſtar omnium hîc tantùm prodo. Nobilem iuuenem beneficium Eccleſiaſticum à Rege poſtulantem, quòd virtute, atque eruditione inſignem noſſet, Regi dignè ac merebatur commendauit aliquando, dum adhuc in Magni Eleemoſynarij munere eſſet: ſequutus eſt Rex auctoritatem eius, & iuueni quod petebat conceſſit: literis ergo ab Ammanuenſi Regio impetratis venit iuuenis ad Cardinalem, vt gratias ageret, ipſáſque illi oſtendit literas, cœpit eas legere Cardinalis, cúmque eò perueniſſet vbi dicebatur Regem ei donare id beneficium propter obſequia, quæ tam ab ipſo, quàm ab eius parente, & propinquis in ſe profecta eſſent, ſubſtitit cogitabundus, & inter affectum quo iuuenis proſequebatur virtutem, ac verbo-

rum illorum duritiem, aliquandiu, vt aiebat, luctatus, tandem ſepoſito affectu. Ego inquit te his literis vti non patiar, quæ & Deo iniurioſæ & Regi, tibique ſunt pernicioſæ. Quis enim te poteſt donare beneficio niſi is cuius eſt beneficium? At illud Dei ſolius eſt, vtpote temporale quodpiam bonum Deo ab hominibus conſecratum in miniſtrorum eius ſtipendium. Nominare te ad illud Rex poteſt, Pontifex eligere, Deus autem eſt qui te illo donat. Sed eſto peccatum ſit iſtic tantùm improprio vocis vſu. Cuiuſmodi autem eſt illud quod additur, propter obſequia tua & tuorum te beneficio donari? Tu enim ipſe non ignoras grande vitium eſſe Simoniam ab obſequio, qua beneficium ſpirituale temporalibus obſequiis rependitur: Cur ergo & Regem, & teipſum tanto ſcelere pateris implicari? Negauit iuuenis Regis eſſe, aut ſua hæc verba, aut ab alio hîc peccatum, quàm ab Ammanuenſis miniſtris. Emendabit ergo inquit ille hæc omnia Ammanuenſis, & cùm primùm potuit, Regi de re tota loquutus, fecit quandiu eo in munere verſatus eſt, vt verbis parum emendatis abſtinerent Ammanuenſes.

CAPVT XIV.

Iusta funebria Cardinalis de la Rochefoucauld.

LVCTVOSA fuit non ſuæ tantùm domui, ſed & Regiæ ciuitati vniuerſæ mors Cardinalis. Nam ſtatim vt audita eſt, ex ſuis quaſi ſedibus mota ciuitas vndatim in eius domum confluxit. Alij videre, alij tangere corpus, alij de veſtibus, aut de corpore quidpiam decerpere auidi perſtabant in atrio plures horas conferti. Pauperum cum primis vis erat maxima, qui patrem, educatorem, & altorem veris lacrymis, lamentíſque deplorabant. Adhibendum fuit portis ſatellitium vt vis arceretur, & ſecundo poſt mortem die ſublimi, ornatóque compoſitum lecto corpus triduum ipſum ſpectaculo fuit ſummis & infimis extra iniuriam. Viſit illud Regina Angliæ quam Cardinalis de Baptiſmo ſuſceperat, & preces ad Deum pro eo rependit. Viſit & Eminentiſſimus Cardinalis Mazarinus, regníque cum illo potiſſima decora, & aqua ſacra poſt preca-

tionem inſperſerunt. Septima die ante meridiem ſepulcro corpus eſt datum, poſt meridiem cor argento incluſum ad ædem Collegij Claromontani à Canonicis S. Auguſtini honorificè eſt elatum, atque à Patribus Societatis IESV non diſparibus exceptum honoribus, perpetuam inter vtroſque amicitiam conglutinauit. Parentatum eſt poſtero die in Collegio Cardinali Societatis inuiolato amatori, perpetuo laudatori, prouido parenti, eximio benefactori, nec parentandi hic finis erit, quia nullus colendi amandíque finis eſſe poterit. Abiere paucæ hebdomadæ, & de nouo illi ab illuſtriſſimis propinquis iuſta ſoluta. Marchio olim Bagnius nunc Nuncius Apoſtolicus & Athenienſis Archiepiſcopus ſacris eſt operatus, funebrem dixit laudationẽ Gallicè Andreas Caſtilionus è Societate IESV, quæ lucem vidit. Non multo pòſt tempore iuſta etiam corpori eius fecere Canonici cœnobium S. Genouefæ habentes, in quibus Orationem funebrem elegantiſſimè habuit Epiſcopus Vticenſis Montis Albani Coadiutor. Quòd verò maxima eſſet apud omnes ſanctitatis eius opinio, virtutíſque

qua vixerat amor, intestina quæ corpore vnà cum corde educta erant, vt postulantium pietati fieret satis, in multos fuerunt loculos plumbeos dispertita, atque Siluanectum, Reomaum, Trenorchium, Nemptodorum, Randanum foras missa: Parisiis autem Nosocomio insanabilium & Monasterio S. Mariæ attributa, quibus ferè in locis funebres etiam illi honores innouati. Nihilóque seciùs in Monasteriis quibus ille pristinam restituerat disciplinam magnis certatum est studiis non solùm Parisiis, sed multis etiam procul locis, vt & pax illi, ac venia de cœlo posceretur, nomen eius celebraretur, & nunquam moritura virtus posteris in exemplum proponeretur. Postremum vt puto loco fuit, sed affectu non postremum Collegium Claromontanũ, in quo parentalis illi celebritas reparata fuit, ad diem vicesimam quartam Maij. Ac pręter funebria sacra, quæ dum faceret Nicolaus Sanguinus Siluanectensis Episcopus, elegans illi Oratio Epitaphia quę extat, à Patre Nicolao Nau veterano Professore Rhetoricæ in Collegio Claromontano Latinè pronunciabatur; sacra verò lugubribus

modis

modis, ac vocibus excellentes musici adornabant; cor eius argento conclusum inter argenteas Angelorum imagines sublime positum Ecclesiæ in meditullio Episcoporum illustri consessu honorabatur. Inde cùm ad Collegij atrium ventum erat oculos primùm atque animos pulsabat ingens pyramis, quæ supremo apice flammeum illius cor cœlo admouens, vario deinceps emblemate vsque ad basim virtutes quarum illud calore succensum tam sublime ferretur adumbrabat. Parietes atrij quatuor, conuestierant literati labores ingeniorum plurium, qui virtutum cordis longitudinem, latitudinem, profunditatem atque altitudinem versa prosáque oratione magna indagine rimabantur iucundáque varietate depingebant, Ingens hîc quoque occurrebat emblematum numerus, quæ subtilibus symbolorum nebulis illius virtutum lumina ita occultabant, vt & lucerent iucundiùs sub velamine & arguttis animum magis penetrarent. Denique Philosophicæ quoque & Mathematicæ quæ tunc vsurpatæ sunt exercitationes, cum eius etiam honoribus ita fuerunt coniunctę, vt qua-

ſi Troico quodam ludo, illius eodem in genere certamina & palmas repræſentarent. Hiſce velut imaginibus parentis optimi iacturam atque orbitatem ſuam ſolabantur Claromontani, tanta ciuitatis totius approbatione, vt inter tam diſparia ingenia rari occurrerent, qui & virtutibus eius, & virtutum laudationi non applauderent. Sed nemo interea non ingemiſcebat periiſſe Galliæ tantum pauperum ſubſidium, Religioſæ vitæ præſidium, fidei atque Eccleſiæ propugnaculum, Ordinis Eccleſiaſtici lumen, Regni columen, verarúmque virtutum apud genus omne hominum exemplum.

FINIS.